:byssto induta et margaritis ornata refulget castitas: incedit inocētia q̄ dicit puritas: hiacyntho vestit pa/ violis decorata ꝓcedit hūilitas: fides et spes chari/ tunt: ceteros portant sapientia et scientia: aquā bene/ rtat luctus: crucem portat discipline correctio: thu/ portat deuo/ ū donū intel/ recinunt an...

a Ne forte tumult⁹ fieret in po ...o. Cum autem esset iesus ...bethania i domo simonis ...rosi/accessit ad eum mu/ habens alabastrum vn/ ...enti ꝑciōsi: ⁊ effudit super ...ut ipsius recūbentis. Vi... ...tes autem discipuli indi/ ...ati sunt dicētes: Ut quid ...tio hec? Potuit eñ istud ...ūdari multo/ ⁊ dari pau/ ...bus. Sciēns autē iesus

i ait illis: Quid molesti estis k huic mulieri? Opus eñ bo/ l num operata est i me: Nam semꝑ pauperes habetis vo/ m biscū: me autē non semꝑ ha/ n bebitis. Mittēs eñ hec vn/ o p guentū hoc i cōrp⁹ meū/ ad q sepeliendū me fecit. Amen dico vobis: vbicunq₃ pre/ dicatum fuerit hoc euange/ liū in toto mundo/ dicetur q̄ hec fecit in memoriam eius.

si larga sit effusio vnguēti. Vñ Thren. ij. f. Effund... ...tē aq cor tuū ante ꝯspectū dñi: vt sic i corde nihil remaneat diab lici liquoris. i. peccati. Uel vt totū cor redigat in puluerē a maticū vt bñ redoleat corā deo. Cañ. iij. c. Que ē ista oro q̄ ascēdit ꝑ desertū sicut virgula fumi ex aromatib⁹ myrrhe thuris/ ⁊ vniuersi p... ueris pigmētarij... thania interpretat... mus obedientie: vl... mus glorificās dñi vel dom⁹ dñi. Hec... aīa in omib⁹ deo ob... diens: ⁊ i omnib⁹ d... glorificās. Ibi est... sus. i. salus: q₂ i don... inobedientie est ꝑdit... Ps. Qm̄ ira in in... gnatiōe eius: ⁊ vita volūtate ei⁹. Dicit b Cū aūt eisset i... sus in bethania... domo simonis... prosi: non modo ... ⁊ peccatū agnoscē...

...atia/ que obseruat ne q̄s nimis vel parū organicet: ...

pus. i. in corde peccatoris obedientis ...

...nno benignitatis. i. in cotritiōe/ in orone/ ...

alabastrū vnguenti. i. ipsa aīa penitētis habēs ...

NODI GORDII

à MARTINO SMIGLECIO nexi

DISSOLUTIO

Facta per

JOHANNEM VOLKELIUM.

RACOVIÆ,
Typis Sebastiani Sternacii,
1613.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Cum proximo superiore anno, benignissime Lector, libellus Martini Smiglecii Iesuitæ, quem ipse Nodum Gordium inscripsit, in manus meas veniret, nonnihil in principio, ut verum fatear, tum tituli splendore, tum sophismatum, quibus utitur, prę-stigiis, ab ejusdem libelli refutatione deterrebar. Non quod causæ nostræ, quæ verissima semper justissimaque est, ulla ex parte diffiderem; Smigleciumque falsissima ubique concludere non viderem: sed quod meæ mihi tenuitatis conscius cùm essem, multos autem nostros homines quantò me ingenio do[ctri]naque sunt superiores, tantò felicius in hoc labore versari posse non ignorarem. Idcirco hoc scriptionis genere planè supersedere tunc cogitabam. Verùm cùm nullus illorum tantum ab aliis suis studiis temporis impetrare posset: egoque Smiglecii argumenta diligentiùs perpendens animadverterem, ea nequaquam nodo Herculeo nexa esse, ad quem dissecandum Alexandri magni ense opus esset, sed vel nullo, vel parvo admodum negocio dissolvi posse, suscepi tandem partes istas, quantumq; in me fuit, nodos Smiglecianos expedivi, omniaque quæ ipse ad nostros ministros, vero legitimoque ministerio spoliandos attulit, nullius momenti esse ostendi. Non diffiteor autem me

multa à Smiglecio dicta præteriisse, partim quòd non in nos dicta ab ipso sunt: sed vel in eos qui Lutheranos, vel Evangelicos sese nominant: partim quòd ejus generis sunt, ut ad nostram sententiam infringendam allata esse minimè videantur: quippe quæ cum re, quam Smiglecius agit, nihil commune habeant. Cumulatè igitur officium meum fecisse mihi videor, qui ea omnia repulerim, in quibus Smiglecii demonstrationes, tanquam in fundamentis innituntur. Quod superest, te benignissime lector, magnopere rogo, ut hunc laborem meum æqui bonique consulas, omniaq́; quæ ad convellēda Smiglecii sophismata à nobis dicuntur, justis ponderibus examines, & sine dubio, Dei ope implorata, videbis Smiglecium frustra sudasse, quomodo pastores nostros non veros legitimosque ministros esse ostenderet. Deo autem, qui omnium rerum moderator est, cuique suam gloriam charam esse scio, totum hoc negocium committo, planeque mihi persuadeo, eum hunc laborem meum, cui clementer adfuit, ad regni sui amplificationem conversurum esse. Cui soli sit laus & gloria per Iesum Christum. Amen.

NODI GORDII
A MARTINO SMIGLECIO nexi
DISSOLUTIO.

UT Smiglecio cunctisq́; aliis clarissimè pateat, nos illius nodum, quem, territandi causa, Gordium nominat, nequaquam extimescere, imò non nodum, sed scopas dissolutas existimare: ab eo exordiemur maximè, quod ille ultimo loco collocaverat, id est, etiam atq́; etiam considerabimus, an ministri nostri missionis suę autorem ostendere teneantur. Si enim rē aliter se habere demonstraverimus, fieri non poterit, quin omnia, quæ Smiglecius magno studio laboreq́; in libellum suum comportavit, miserandum in modum dißipentur. Intelligendum quippe est, Smiglecio jam non cum illis Evangelicis rem esse, qui cum ipso facientes, missionem planè ad ministerii functionem necessariam esse asserunt: sed cum iis, qui ut ministerii officio quispiam rectè fungatur, non missionem, sed ea maximè requiri asserunt, quibus ministerii essentia naturaq́; continetur. Quapropter minimè mirum, nec Smiglecio, nec aliis accidere debet, nos iis, quæ ad nos nihil pertinent, præteritis, Evangelicis illis, quibuscum Smiglecius in disputationis arenam descendit, causæ suæ defensionem permittere. Scripserat quidam ex hominibus nostris anonymus, nostris ministris, ministerii contro-

versiam jure moveri non posse. Quicunq; enim, *inquit*, verbi DEI ministris, qui cum Ecclesia Romana aut Græca non consentiunt, eorum ministerii controversiam movent, ab eisq; contendunt, ut suæ vocationis ac muneris legitimum autorem ostendant, ii nimirum insigniter falluntur. Aut enim ministros istos omnino pro novis quibusdam Christi Apostolis divinisq; prophetis se gerere, vel ut se gerant, opus esse credunt, aut non credunt. Si credunt, egregiè falluntur. Fatētur enim ultro ipsi ministri, se in iis quæ docent, quamvis persuasissimum habeant, ea esse verissima, errare tamen posse. Id quod ab iis, qui se pro Christi apostolis gerunt, penitùs abest. Nec porrò ut ipsi pro talibus se gerant quicquam est opus. Non enim inauditam prius doctrinam aut religionem mūdo se annunciare profitentur, vel ex novis principiis priusque incognitis testimoniis quicquam docere: Sed tantùm ex iis principiis iisq; testimoniis, quæ apud omnes Christiani nominis certissima sunt, ex ipsis inquam, Evangelistarum & Apostolorum scriptis Apostolicam doctrinam, ipsumque Iesu Christi Evangelium se docere profitentur: vel potius prædicta scripta explanare aliter atque jam diu vel in Romana vel in Græca Ecclesia doceatur, quæ ante hosce septuaginta annos maximam partem Christiani

ani orbis occupabant. Quod si nec eos omninò pro Christi Apostolis quibusdã novis divinisvé Prophetis se gerere nec ut se gerant, opus esse credunt, quid est cur ab eis requirant, ut sui muneris legitimum autorem ostendant. *Hæc anonymus. Smiglecius verò hunc syllogismum quantumvis optimè constructum non assumpsit: sed in ejus locum alium suffecit: nimirum ut hoc artificio multa alia quæ ab anonymo dicuntur, istiq; negotii plurimum facessere poterant, declinaret. Qua quidem sua spe ut sese longè falli intelligat, omnem dabimus operam. Ac primò quidem tum ipsius syllogismum nobis affictum videbimus: tum responsiones ad eum infringendum directas justis ponderibus examinabimus. Sic igitur pro nobis argumentatur:* Qui se non gerit neq; se gerere debet pro novo apostolo aut propheta, non tenetur suæ vocationis autorem ostendere, sed potest ex charitate verbũ Dei & sacramenta proximis ministrare sine ullo speciali sibi legitimè demandato eius rei munere. Atqui ministri Evangelici neque se gerunt, neq; gerere debent pro novis Christi apostolis aut prophetis. Non igitur tenẽtur suæ vocationis & missionis autorem ostendere. Quod verò non se gerant pro apostolis, res est manifesta. Nam apostoli & prophetæ, errare non possunt. Ministri autem evangelici, in iis quæ docent, (etiamsi persuasissimum habeant esse verissima) faten-

tur se errare posse. Quod verò non debeant pro talibus se gerere, inde constat, quòd doctrinam neq; novam, neq; ex novis principiis, sed ex scriptis Evangelistarum haustam doceant.

Hîc animadvertendum est Smiglecium terminos mutare, duoq; anonymum dicentem facere, quæ non dixerat: nimirùm tum Apostolos & Prophetas errare non posse: tum nostros ministros doctrinam non novam, sed ex scriptis Apostolorum & Evangelistarum haustam docere. Horum neutrum, inquam, anonymus dixerat. Ad Apostolos enim & Prophetas quod attinet, non dixerat eos errare non posse (quamvis hoc, si de veris Prophetis Apostolisq; sermo habeatur verissimum sit) sed penitus ab eis abesse, ut se errare in iis posse fateantur, quæ ipsi verissima esse persuasissimum habeant, ut quidem ministri nostri faciunt. Non dixerat etiam nostros ministros non novam, sed ex scriptis Apostolorum & Evangelistarum haustam doctrinam docere: sed eos se hoc facere profiteri. Quantum autem referat, utrùm hoc an illo modo dicatur, infrà suo loco videbimus.

Iam ut ad Smiglecii responsiones veniamus, videmus eum syllogismi pro nobis constructi, & propositionem & assumptionem negare. Ac ut de propositione prius videamus, mirum est illud à Smiglecio negari, quod etiam luce meridiana clarius est, nimirum eum qui nequaquam ex eorum numero se esse dicit quibus missio competit, veluti sunt prophetæ & apostoli, nō teneri missionis suæ autorem ostendere.

dere. Hæc negatio certè & cum rectæ rationis judicio pugnat, & ideo tanto Iesuita indignissima est. Quid enim verbi causa, Smiglecius illis responderet, qui ex illo fortè percontarentur, quo pacto ipse & quo autore Papa factus sit? nimirum eos insanire cùm sese pro Papa minimè gerat. Sed jam videamus quibus rationibus ista tam audax stultaq́; negatio ab ipso fulciatur. Non solum, inquit, novum apostolum, » sed omninò quemcumq́; apostolum, hoc est, quicunq́; » munus apostolicum ministrando verbo Dei & sacra- » mentis, sibi assumit, debet ostendere suæ vocationis » & missionis autorem: aliâs pro vero apostolo & vero » propheta haberi non debet. Hîc rursus non uno mo- » do turpissimè labitur Smiglecius. Primò enim id pro concesso sumit, quod nos pernegamus, nimirùm nostros ministros, non quidem pro novis, sed pro quibuscunq́; apostolis sese gerere; Deinde ineptissimè novos apostolos, quibuscunq́; apostolis opponit, cùm novum non cuicunq́;, sed veteri opponendum sit, & porrò hîc ad illos duodecim Christi legatos respectus habeatur. Præterea nihil à vero alienius est, quàm eum, qui divinum verbum & sacramenta, quæ vocant, administrat apostolicum munus sibi assumere: cùm talia exequi, nequaquam apostolorum proprium officium sit, quippe quæ etiam ab iis qui apostoli & sic missi nequaquam fuerunt, & factitata fuisse, scriptum legamus. Quamquam autem ordinis ratio flagitare videtur, ut id omniū primò de Divini verbi prædicatione ostendamus: tamen cùm infrà aliam ob causam uberrimè hac de re explicandum nobis sit,

idcircò ea in illum locum rejecta, hîc statim de sacramentis agemus, & primò quidem de cœna Domini. Intelligendum igitur est, nullo nec scripturæ nec rationis præsidio confirmari posse, ejus administrationem apostolici muneris propriam esse. Vnde colligitur nequaquam eum apostolicum munus sibi assumere, qui Christiano populo id postulante, cœnæ Dominicæ dispensationem suscipit. Nusquam enim scriptum legimus, Christum cerimoniæ istius administrationem, Apostolis, quatenus Apostoli fuêre, singulari quadam ad reliquosq́; minimè spectante ratione demandasse. Quinimò ne hoc quidem ex Divinis literis discere possumus, omnino necesse esse, ut certus quidam homo eligatur, qui Christi quasi personam sustinens, reliquis cœnam Domini dispenset. Contrà verò compertissimum est, hujus cerimoniæ religionem universæ Christi ecclesiæ, in perpetuam illius mortis commemorationem traditam esse. Paulus quippe sese eam à Domino acceptam, universo fidelium Corinthiorum cœtui tradidiße asserit. Nec ullum tunc extitisse vel Apostolum vel Apostolorum successorem, qui reliquis in cœna Dominica celebranda præiret, inde constat, quod vel universam illam ecclesiam, abusus nomine repræhendendi nullam causam habuisset, cùm Apostolus, qui illis præfuisset, nec ipse errare ea in re potuisset, nec reliquos errare permisisset. Vel si quis Apostolorum loco ibi relictus, tum ipse errasset, tum reliquis errandi causam attulisset, ad illũ perstringendũ potius, quàm ad alios, orationem direxisset. Hinc insuper colligitur,

Chri-

Christum cùm cœnam suam institueret, Apostolis suis, quatenus omnium fidelium personam gerebant, imperasse, ut ritus iste in ipsius Ecclesia retineretur, idq́ ut Paulus asserit, usq́ ad ultimum ejusdem Christi adventum. Quod verò Pontificii, id, quod hoc loco dicimus, ea re falsum esse ajunt, quod non omnes Christi discipuli, sed soli Apostoli ad negotium istud adhibiti fuerunt, ideoq́ hanc actionem non ad alios sed ad solos Apostolos spectasse, maximoq́ id argumento esse pugnant, Apostolos tunc à Christo sacerdotes creatos, eisq́ corporis ipsius sacrandi potestatem factam fuisse; id nimirùm ipsa futilitate futilius est: cùm non solum longè alia causa esse potuerit, cur Christus solos Apostolos actioni isti interesse voluerit: sed etiam nihil à vero alienius sanctisq́ literis magis contrariũ sit, quàm Christum, qui semel seipsum offert, idq́ in cælo, Apostolis aliisvè qui his successerint, sui corporis, in terris subindè sacrificandi potestatem dedisse, ut à nobis alibi scriptis publicis abũdè demonstratum est, ad quæ tum Smigleciũ tum alios remittimus. Interim tamen longè aliam ob causam, Dominum nonnisi Apostolos ad cœnam suam instituendam peragendamq́ accersere potuisse, quàm ut ad eos solos res ista spectaret, inde perspicuum est, quod non semel scriptum legimus, illum reliquis prateritis, ea cum his communicasse, quæ ad illos similiter pertinebant. Quid enim? an non omnium intererat scire Christum in urbe Hierosolimitana & affligendum, & in crucem tollendum, & tertio die à mortuis excitandum esse: nihilominus tamen solos duode-

cim

cim Apostolos eum assumpsisse, quibus hoc & concrederet, & in sua ipsius persona ante oculos constitueret, divinis literis edocemur. Quid quod & de his duodecim, tres tãtum, eum, non semel elegisse accepimus, quibus ea patefaceret, quæ reliquos fugere minimè oportebat? Velut est tum Christi illa clarificatio Deiq; testimonium quod in monte illo de ipso dixit: tum illa potentia quam in terris adhuc degens, Iairi Synagogæ principis filiam suscitando declaravit. Quo fit ut potius alia hujus rei causa indaganda sit, quam per summam temeritatem ea hinc colligenda, quæ & nulla consequentiæ vi concludi possunt: & manifestam pariunt absurditatem. Ea autem, ut & ipsa veritas suadet, & hominum cordatorum fert judiciũ, nulla alia est, quam quia Dominus Iesus istos duodecim, & interdum ex his aliquot singulariter elegerat, quorum opera reliquos ad divina mysteria institueret, secũdùm illud, Quod vobis dico, omnibus dico. Atq; etiam causam anonymus attulerat, cur non omninò necessarium esse statuendum sit, aliquem certum hominem, qui divinitùs singulariterq; vocatus sit cœnæ Dominicæ administrandæ adhiberi: nimirùm quòd nequaquam opus sit, ut aliqua, ex ministri persona, sive dignitas, sive vis cælestis, sive sanctitas, sive mutatio ad hanc actionem redundet: & quicquid eâ vel sanctitatis vel mutationis continetur, id omne non ad ministri personam, sed ad divinam institutionem referẽdum sit.

" *Ad hæc Smiglecius hunc in modũ respondet: Si eu-*
" *charistia nihil aliud esset, nisi commemoratio cœnæ*

Domi-

Dominicæ, ut anonymus cum suo Calvino somniat, "
non esset proculdubio ulla potestas specialis in mini- "
stro necessaria ad eucharistiam conficiendam. Hîc "
animadvertendum est, neq; Calvinum neq; anonymum, unquam tam ineptè locutum fuisse, ut eucharistiam sive cœnam Domini, cœnæ Domini commemorationem appellarent. Non ignorarunt enim in eucharistia non cœnam Domini, sed ipsum Dominum eiusq; mortem commemorandam, sive, (ut Paulus loquitur) annunciandam esse. Quo fit ut cum sua vmbra pugnet Smiglecius, dum postmodum anonymum dicentem facit, quæ nunquam dixit, nimirum cœnam Dominicam commemorare, esse eam conficere. Valeat igitur cum somniis suis, & discat tandem in cœnæ Domini celebratione, nihil aliud præcipuè fieri, quàm Christi mortem annunciari, seu Christum commemorari, quatenus, scilicet, truculentissimam mortem pro nobis oppetiit, idq; tum ipso Christo, tum Paulo Apostolo locupletissimo teste. Quorum ille luculentissimè docet, hoc faciendum esse in sui commemorationem: hîc verò, quotiescunq;, inquit, ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat: ut facilè appareat panem frangẽdo & comedendo Christi corporis fractionem: & vinum in poculum infundendo, Christi sanguinis profusionẽ adumbrari. Qua de causa & illud Christi corpus nominatur, quippe quod, quid de Christi corpore mox futurum esset, declaraverit: hoc verò alterum Christi sanguis dicitur: utpote quod Christi sanguinis effusionem antè

oculos

oculos constituit. Et hoc quidem est Christi mortem, quæ fractione seu crucifixione ipsius corporis, sanguinisq́; profusione continetur, annunciare, Dominicamqúe cœnam ritè peragere. Quod verò dicit Smiglecius, non hoc tantum in Dominica cœna fieri: sed insuper ipsum corpus, ipsumq́; sanguinem Christi sub specie panis ac vini constitui, mutatione illa admirabili totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: id nimirùm & somnium inanissimum est, & cœnæ Dominicæ institutioni contrarium, cùm hic luculentissimis Christi verbis doceamur, ejusdem corpus sanguinemq́; in sacra ista actione commemorari. Id quod cum ipsius corporis sanguinisq́; præsentia, quæ ex ista admirabili transsubstantiatione necessario fluat, nihil habet conjunctum, imo eam prorsus excludit. Quorsum enim attinet illud commemorare, quod præsens adest, jamq́; manibus palpatur, oreq́; comeditur ac bibitur? cùm commemorationem, ad ea quæ absunt, spectare, manifestissimum sit. Verùm audiamus quo argumento somnium istud stabilire nitatur. Omnes, inquit, Catholici ita sentiunt: quasi verò nos Catholicorum, per quos Romanenses intelligit, placita approbemus, & non potiùs eam ipsam ob causam ab illis defecerimus, quod eos funestissimis erroribus implicatos esse certum exploratumq́; habemus. At, inquit Smiglecius, Catholicos à Christo id edoctos esse, qui non aliam substãtiam in hoc sacramento indicavit, quam substantiam Corporis & Sanguinis sui: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. *Respondeo*

spondeo autem Christum non dixisse: hæc est substãtia corporis sanguinisq; mei: sed simpliciter: hoc est corpus meũ, &, hic est sanguis meus. Quod si hoc idẽ cum illo esse Smiglecius existimat, toto cælo errat: cùm Christus longè alia de causa his verbis, & uti potuerit, & usus sit, quam ut sui corporis sanguinisq; substantiam indicaret, quemadmodum tum paulò antè ostendimus, tum ex similibus loquendi modis perspicuum est. Ezechielem, verbi causa, jubet Deus capillos barbamq; suam tondere, pilosq; tùm ponderare, tùm partim comburere, partim gladio secare, partim in ventos dissipare, partim deniq; in summitate pallii ligare, ejicereq;: Hæc dicit Dominus: ista est Hierosolyma, *&c. Quis autem sanæ mentis homo hîc admirabilem istam, ut à Smiglecio vocatur, mutationẽ cogitabit, ut nimirùm pilos aut totum istud pilorum negotium in substantiam urbis Hierosolymitanæ conversum fuisse existimet? cum nihil sit manifestius, quam his verbis indicari, quid mox de Hierosolymitanis futurum esset. Similiter & de aliis Christi verbis sentiendum esse ipsa res ipseq; cœnæ Dominicæ scopus ostendit. Ejusdem rei & illud luculẽtissimum exemplum est, quod Iudæi agnum Paschalem celebrantes dixerunt: hoc est Phase Domini: Vbi similiter nonnisi commemoratio illius Phase seu transitus declaratur: non autem ulla realis mutatio. Adde quod maximæ absurditates, quæ ex isto Romanensium somnio nascũtur, nequaquam hominibus intelligentibus ita cum ratione insanire permittunt, ut istam admirabilem, vel*

potius nugatoriam mutationem in cœna Domini fieri credant. De quibus in multis nostrorū hominum scriptis satis superq́; disputatum est, evidentissimeq́; demonstratum, verba illa Christi quæ in sexto Iohannis Evangelii capite extant, ad cœnæ Dominicæ institutionem minimè pertinere. Ad illa igitur scripta, tùm Smigiecium, tùm alios rejicimus. Porro autem quod asserit Paulum in illis verbis (Calix cui benedicimus nonné cōmunicatio sanguinis Domini est) agnoscere ministrum non commemorare tantum benedictionem calicis à Christo factam in ultima cœna: sed re ipsa calici benedicere, & benedicendo vinum in sanguinem commutari, id nimirū falsissimum est. Primò enim nullum certum hominem ibi Apostolus memorat, cui singulariter benedicendi persona imposita sit: sed universam ecclesiam innuens, seseq́; ab ea minimè excludens, dicit: Calix cui benedicimus & panis quem frangimus. Monet quippe universumCorinthiorum cœtum, ut quia pane frangendo, caliceq́; benedicendo, sese populum Christi, eorumq́; quæ morte sua peperit, beneficiorum participes esse profitebantur, ne altera ex parte idolothytis cum extraneis vescēdo ostendant se simul & dæmoniorum mensæ participes esse, & sic eorum consortio gaudere, cum hæc simul consistere nequeant. Quod quidem ita, ut dicimus intelligendum esse, ipsa verborum complexio Israelitarumq́; exemplum ibidem adductum luculētissimè demonstrat. Deinde calici benedicere, non significat vinum in sanguinem Christi commutare: propterea

quod

quod hæc verbi istius significatio non solum nullo sacrarum literarum testimonio exemplové comprobari potest: sed etiam alius insuper isq́ verissimus ejus sensus in divinis literis continetur: nimirum calici benedicere nihil aliud esse, quàm accepto calice Deo gratias agere: qua de causa hæc ipsa actio eucharistia à veteribus appellata fuit. Neq́ enim Smiglecius credo negare audebit, benedictionem istam non solùm ad calicem, verùm etiam ad panem pertinere. Aliàs enim secundùm ipsius sententiam, tantùm vinum in Christi sanguinem mutaretur, nequaquam autem panis in Christi corpus. Quid quòd ipse Christus hanc ceremoniam instituens, primò benedixisse apud Matthæum; deinde panem fregisse poculoq́ accepto gratias egisse dicitur? Vt facilè appareat, benedicere gratiasq́ agere, eundem sensum cõtinere. Vtramq́ enim locutionem Paulus, cum quo pacto sibi cœna Domini tradita aliisq́ tradenda fuerit, ostenderet, his verbis complexus est: Gratiis actis fregit, *&c. Quapropter nisi Paulum sibi ipsi contradicere volumus, fatendum est, illum benedictionis nomine gratiarum actionem intelligere. Quod etiam inde perspicitur, quod idem Paulus, sine dubio Christi magistri sui, à quo sese hujus cerimoniæ religionem didicisse ait, vestigia, tùm ipse persequi, tum aliis ad idem faciendum autor esse voluit. Cùm igitur Christus, ut testis est Matthæus, accepto poculo gratias egerit: quòrsum attinet Paulum per verbum benedicendi, mutationem istam monstrosam intellexisse putare? Huc accedit quod duo ista verba, benedi-*

nedicere nimirùm & gratias agere, non solum apud
Mar. 14. 22. *Matthæum, ut jam vidimus, verùm etiã apud Mar-*
Luc. 22. 17, 19. *cum & Lucã confunduntur. Vidit hoc Chrysostomus: vidit Theophilactus, viderũt alii quam plurimi, quibus & magnum illum Erasmum annumeramus, qui locum istum Pauli explicans sic scribit:* Benedicimus calici, *id est calicem cum gratiarum actione sumimus.*

Cùm igitur, ut demonstratum est ministri persona nullam huic cerimoniæ mutationem afferat, nullam sanctitatem conciliet: sed quicquid horum habet, id omne ad illum, qui ejus autor est, referendum sit: aut firmioribus argumẽtis Smiglecius suam causam constituat: aut fateatur nequaquam opus esse, ut ministri singularem quandam potestatem sibi divinitus datam habeant cœnæ Dominicæ dispensandæ: & porro etiam minimè necessarium esse, aliquem certum hominem eligi, qui hanc personam sustineat.

Similiter, & quidem multò magis etiam de baptismi administratione existimandum est, præsertim cùm & ipse Smiglecius ejusmodi casum incidere posse fateatur, ut à quolibet actio ista ritè perficiatur. In hoc tamen non leviter errat, quod hoc in casu necessitatis fieri posse existimat, nimirùm absente legitimo ministro: idq́; propter summam baptismi ad salutem necessitatem. Nam *nec baptismum summè ad salutem necessarium esse uspiam apud sacros autores scriptum legimus: nec eam ipsam ob causam iste necessitatis casus accidere potest: nec deniq́; quic-*

quam prohibet, quominus etiam præsente legitimo ministro baptismus à quolibet alio administretur. Quinimò hoc factum fuisse in actis apostolorum legimus: ubi Petrus qui apostolus ideoq; legitimus minister erat, jussit ut se præsente Cornelius una cum tota familia sua baptizaretur. Quod quidem à fratrib. Ioppensibus, qui unà cum Petro venerant factum esse, ipse verborum contextus luculentissimè docet.

Adduxerat noster anonymus plura exempla, eorum nimirùm, qui ab illis ritè baptizati fuerunt, quibus antea munus illud singulariter assignatum minimè erat: veluti fuerunt Samaritani, Eunuchus, & alii: Sed ea omnia Smiglecius suo illo syllogismo egregiè occultavit.

Verùm transeant ista: veniendum enim jam est ad reliqua, quæ Smiglecius non nisi per ministrum singulariter missum, divinaq; potestate donatum, præstari posse asserit: veluti est tùm manuum impositio: tùm peccatorum remissio. Nam de copulatione matrimoniali quid attinet dicere, cùm etiam ipse Smiglecius fateatur eam absq; ministro fieri posse. Ad manuum igitur impositionem quod attinet, fatendum est, eam in primæva illa ecclesia ita viguisse ut plerumq; illi quibus cōtingebat divino spiritu perfunderentur: Verùm cùm hoc admirandum quoddam opus fuerit, & ad salutarem Christi doctrinam, in illis ecclesiæ principiis confirmandam, ut omnia alia miracula tunc edita, accommodatum: & porrò postquam eadem Christi veritas satis confirmata esset cessare debuerit, ut à nobis & alibi demonstra-

tum est, & infra suo loco demonstrabitur: parumne liquet non solum minimè opus esse, ut hodie ejusmodi ministri ecclesiis præficiantur, qui ista potestate sint præditi: Verùm etiam hoc nullo pacto fieri posse.

Iam ut ad peccatorum tùm remissionem, tùm retentionem veniamus, ad quam exequendã Christum Apostolis Spiritum sanctum dedisse asserit, ut ostendat, non ad quosvis fideles negotium istud pertinere, intelligendum est eam, in duas partes accipi posse. Aut enim significat primam illam, anteq; Apostolorum ætatem, universo terrarum orbi inauditam declarationem, qua quis sempiternam felicitatem adepturus, ab eavé excludendus esset, aperiebatur: aut designat ejusdem declarationis perpetuam in Christi ecclesia repetitionem. Primam illam ad solos Apostolos pertinuisse libenter concedimus, atq; adeò urgemus, quippe cùm ad eam ritè perficiendam ejusmodi opus fuerit viris qui primi omnibus numeris absolutissimam rerum divinarum, maximè autem salutarium noticiam haberent, & ideò divini spiritus afflatu compulsi, Dei de hominibus vel salvandis vel damnandis consilium toti terrarum orbi patefacerent: id est, Christi nomine illis qui ipsi confiderent, & sic ex ipsius præceptis vitam componerent, sempiternam vitam promitterent: qui verò contra facerent eis sempiternum interitum denunciarent. Hæ enim sunt claves illæ & hæc illa potestas est solvendi atq; ligandi, quam Christus Petro aliisq; Apostolis fecerat: hancq; ipsam ob causam Apostoli fundamentum nominantur, ut po-

te

re quibus, ipsorum muneris ratione habita totum spirituale Christi ædificium nititur. Vnde colligitur hoc Apostolorum munus fuisse singulare, illorumq; proprium, & ideo omnem successionem excludere: cùm qui sese illorum successorem jurè dicere velit, is & fundamentum, quod in hoc sacro ædificio struendo omnium primò positum est, sese faciat: & sic jam tunc sese extitisse, cùm Christus Apostolos suos ad Evangelium divulgandum in universum terrarū orbem mitteret, exq; eorum numero fuisse asserat. Quod sanè nec fieri potest, nec sibi ipsi consentaneum est; cùm nec is qui ex Apostolorum numero est, iisdem succedere possit: nec qui his succedit fundamentum, & sic in illis qui primi Evangelicam disciplinam promulgarunt, haberi queat. Et quidem hanc ipsam ob causam libenter fatemur, non solum quibusvis hominibus, sed ne ministris quidem nostris, primam illam rei istius de qua hîc agitur, declarationem convenire. Quinimò Romanenses cum ratione insanire putamus, qui omni pudore absterso tantam rem, tamq; ut sic dixerim, impossibilem suo Papæ aliisq; qui ex ejus pendent autoritate tribuere non dubitent.

Iam quod ad alteram significationem attinet id est eorum quæ Apostoli tùm de absolvendis tùm ligandis peccatoribus primi pronunciarunt, repetitionem: constat, ipso rectæ rationis judicio teste, nullo opus esse singulari divini spiritus impulsu, aut divina vocatione ad hanc rem perficiendam: sed satis superq; esse ea intelligere, menti infigere aliisq; expli-

tare, quæ semel ab Apostolis tradita nobis sunt. Quod quidem à quolibet dummodo ad hanc rem appositus sit, in eaq; studium suum ponat, implorato Dei auxilio fieri posse manifestissimum est.

At verò, *inquit Smiglecius*, cum tot existãt falsi prædicatores, qui suos errores sub prætextu veræ doctrinę venditent, nemo est qui non videat, aliter huic periculo prospici nõ posse, nisi ut nõ in cujusvis potestate sit prædicationis officium obire: sed ejus duntaxat, qui à legitima potestate & magistratu ad id munus approbatus existat. *Respondemus autem hujus ratiocinationis consecutionem duabus de causis falsissimam esse. Primò enim nequaquam consequens est, ideò non cuilibet liberum esse debere prædicationis munus obire, quod multi falsi prædicatores existant: cùm etiam Apostolorum tempore, multi seductores in mundum ingressi fuerint: multos tamen nulla à magistratu aliquo, accepta potestate, liberè, nulloq; prohibente divinum verbum idq; maximo cum fructu prædicasse scriptum legamus, ut infrà suo loco planum faciemus. Deinde ineptè ex falsorum prædicatorum multitudine colligitur, aliter hoc periculum vitari non posse, atq; isto modo quem Smiglecius præscribit, sive enim hac ratione seductores extirpari, sive erroribus illorum occuri existimet, nihil agit. Illud quippe falsissimum est, cùm etiam Apostolis viventibus, stanteq; ministrorum publica ordinatione, hæreticos seductoresq; extitisse manifestum sit. Quinimò & ipse Smiglecius*

sub libelli sui finem, aliiq́ Romanēses sæpissimè conquesti fuêre hæreses irrepsisse, quantumvis sese episcoporum missione successioneq́ continua nunquam caruisse glorientur. Hoc alterum verò minimè consequi inde patet, quod longè aliter ac isto modo, erroribus obviam ire possumus atq́ adeò ex Apostolorum institutione debemus. Explorandos enim spiritus esse, explorandaq́ omnia, & quod bonum est tenendum: quod verò divino verbo contrarium aliudvé Evangelium est, ut Paulus loquitur, id fugiendum edocemur. Quidquod Deus interdum hæreses irrepere permittet, ut & quoddam fidei nostræ constantiæ experimentum extet: & illi, qui probati sunt manifesti fiant. Dixerat anonymus noster, inter cætera, cuivis Christiano homini licere, etiā sine speciali ullo sibi legitimè demandato munere charitatem erga proximos exercere: esse verò opus charitatis ad Apostolicam doctrinam Christiq́ Evangelium complectendum ac retinendum alios cohortari, divinaq́ oracula, quæ omnibus proposita sunt, illis explicari. Hoc verò Smiglecius ineptè dici asserit, rationesq́, cur sic dicat, duas affert. Nos autē ordinis causa, eam quam posteriore loco posuerat, primò examinabimus, quæquidem hæc est: Nonné, *inquit,* talem charitatem æquè mulier exercere posset, quam tamen Paulus nullo modo prædicare permittit. Mulier, *inquit,* in silentio discat cùm omni subjectione: doceri autem mulieri non permitto. *Cujus quidem rei Smiglecius nullā aliam causam esse dicit, quam quia ea*

charitas illis incumbat, qui cæteris ex officio præsunt quibusque id officium est legitimè demandatum. Sed vehementer fallitur, ideoque multò, quam anonymus, ineptiùs loquitur, & tantum non contra se ipsum locum istum affert. Cùm enim Paulus solas mulieres à prædicandi munere removeat, nullumque planè de viris ad docendum idoneis, excludat: nonne manifestum est, eum omnibus viris, qui tales sunt, docendi libertatem permittere? Adde quod longè alia hujus rei causa ab Apostolo affertur, nimirum quia uxor viro subdita esse debet, & nequaquam in illum autoritatem usurpare: ut facilè appareat, in ecclesia docere, cum ea subjectione pugnare, quàm uxor debet viro. Ideò enim à Paulo hæc duo expressè opponuntur, cùm ait: non permittitur mulieribus loqui in ecclesia, sed subditas esse, ut lex dicit. *Si enim mulieribus publicum docendi munus permitteretur, non solum non subjectæ viris essent: sed etiam aliquam tenerent autoritatem, tùm in alios, tùm in proprios maritos suos. Quod quàm absurdum esset, res ipsa docet.*

Altera ratio quam Smiglecius ad istud charitatis officium evertendum attulit, multis ipsius verbis continetur, quæ nos brevitatis atque perspicuitatis causa in syllogismum redigemus hoc pacto: Quodcunque divinis præceptis adversatur Deique & proximi charitatem offendit, id opus charitatis dici non potest. Atque sine speciali mandato alios ad Christi Apostolicamque doctrinam amplectendam ac retinendam cohortari, divinaque oracula quæ omnibus propo-

sita

sita sunt explicare divinis præceptis adversatur & proximi charitatem offendit. Ergo id facere non est opus charitatis. Hujus argumentationis propositionem libenter concedimus. Assumptionem verò pernegamus. Videndum tamen est, quibus tùm scripturæ, tùm rationis præsidiis eam Smiglecius tueri nitatur. Primò igitur, quod ad scripturam attinet, partim in isto loco, partim in ipso hujus cum anonymo disputationis initio aliquot sacra testimonia adducit, in quibus mirum in modum, ante tamen victoriam triumphat, exploratissimumq́; habere videtur se jam vicisse, nostramq́; sententiam penitus explosisse atq́; ejecisse. Efficiemus igitur, Dei ope implorata, ut Smiglecius opinione longè se falli intelligat.

Pimo igitur, illud divinissimi autoris testimonium in medium profert: Nemo sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, *idq́;, non solum de honore aliquo noviter constituto, & antè à nemine usurpato: sed absolutè de quovis honore, administrandum in iis quæ pertinent ad Deum accipiendum affirmat: quippe cùm Paulus absolutè loquatur. Respondemus autem hæc divinissimi autoris verba, nihil quicquam ad rem, qua de agitur pertinere, cùm non contra eos qui honorem, summo pontifici debitum sibi minimè vendicant, sed in illos, qui Aaroni Christoq́; sese in summi pontificatus munere successisse gloriantur, afferenda fuerint. Quod autem Smiglecius autorem istũ absolutè de quolibet honore loqui asserit, id nimirum à vero alienissimum est: Cùm enim totus contextus,*

 de eo

de eo honore, qui summo pontificatu continetur, sermonem esse indicet: articulusq; in Græco, honoris vocabulo adjunctus, de certo honoris genere verba fieri convincat, quo pacto, quæso, quæ hîc à Smiglecio dicuntur, constabunt? Qua de causa, quidam, divinarum rerum peritissimi homines, non simpliciter honorem, *sed,* hunc honorem, *verterunt.*

Pergit autem Smig:, Paulumq; Aaronis exemplũ adducere, ait, qui etiamsi non novam, neq; à Mose differentem doctrinam aut ritum afferret, debuit tamen novari legitimè à Deo, & jubente Deo, certa ratione ac cerimonia ad id munus consecrari, qui ritus, non in ipso solùm observari debuit: sed in omnibus omninò sacerdotibus, qui illi in officio successerunt: vel illum in suo ministerio juverunt.

Hæc & alia, quæ subjungit Smiglecius, ad rem propositam nihil quicquam pertinent, cùm de pontificatu sacerdotioq; agant, quorum neutrum nostri ministri sibi arrogant. Nec mirùm, nemini tunc administrandum accedere licuisse, nisi qui Levita esset: cùm legalis illa publicaq; divini cultus administratio, ad certam nempe Aaronis & Eleazari familiam astricta esset: hodie verò minimè. Neq; enim hoc seculorum ætate quæritur, an qui divinarum rerum explicationem suscipit Levita nec ne sit: Sed utrum ad docendum sit aptus, vitamq; vivat piam ac inculpatam. Veterem enim illam religionem, diviniq; cultus rationem, Christo veniente, novamq; disciplinam promulgante, defecisse, huicq;, uti umbram corpori, loco cessisse, ex Apostolorum testimoniis manife-

nifestißimum est. Idcircò non spectandum hac tempestate est, quid, quaq; ratione sub lege gestum fuerit, sed quid nobis Christus Apostoliq; mandaverint. Atq; hinc perspicuum est, cùm nec Christus, nec Apostoli, ullam ab eo, qui docendi partes suscipit, succeßionem mißionemvé requirant, Pontificios frustrà ex Mosaica lege, rerum istarum firmamenta petere.

Hîc verò Smiglecius, alterum non quidem ex Lege, sed novo Testamento, affert testimonium, quod illis Pauli Apostoli verbis continetur: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante. *Quo quidem testimonio, si Smiglecius suam sese causam constituisse existimet, toto cælo errat: cùm isto in loco nequaquam de eo prædicationis genere verba fiant, quo vel nostri ministri, vel etiam alii divinas literas explicantes utuntur: sed quo usi fuerunt olim Apostoli, quodq; illorum proprium fuit. Agit quippe hîc Paulus de illa prima Evangelii prædicatione, ad quam nonnisi Apostoli missi erant. Erat enim tunc Evangelica doctrina, res quædam nova & inaudita, cùm eos Dominus in universum terrarum orbem exire illamq; ubiq; disseminare juberet. Et quidem ad illud tempus, quo primùm Christi doctrina prædicata est, Pauli ista verba referenda esse, ipse contextus indicat, quod nimirum, idem Apostolus illam gentem nempe Israeliticam, apud quam tunc Apostoli degebant, divinæ gratiæ contemptus accusat: ut*

qui lætum de vita æterna nuncium, tanquam non divinitus allatum, repudiassent, & ideo Apostolos nequaquam ad Evangelium prædicandum missos esse crederent. Vt igitur hanc illorum amentiam convincat, pulcherrima gradatione utitur. Quam ut non nisi ad Apostolorum missionem spectare ostendamus, singula ejus membra justissima trutina examinabimus. Primo igitur docet, Dominum Iesum in omnes tum Iudæos tum Græcos, ipsum invocantes divitem esse, quod quidem magno anteá mysterio involutum, omniumq; primò Apostolis, maximè autem Paulo, patefactum fuisse, ipse testificatur: ut nimirum primi hoc universo terrarum orbi annunciarent. Atq; hoc idem etiam ex sequenti hujus gradationis membro intelligitur. neminem, videlicet Dominum invocare posse, nisi in eum credat. Vt enim in illum credere, & porro eum implorare quispiam possit, necesse est, ut ex illis testibus, qui eum à mortuis excitatum, inq; cælos elatum viderunt, exploratissime cognoscat, eum tantum factum esse, ut absq; ullo errore invocari queat. Quos quidem testes Apostolos illos fuisse compertissimum est. Petrus quippe in ædibus Cornelii, inter cætera sic loquitur: Hunc DEUS suscitavit tertio die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui mãducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis: & præcepit nobis prędicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum.

tuorum. *Rectissimè igitur subjungit Paulus*: quomodo autem credent sine prædicante, & quomodo prædicabunt nisi mittantur. *Res quippe tunc erat nova inauditaq́;, & ab omni humana intelligentia remota, Deum, nimirum Iesum illum paulò antè crucifixum, à mortuis excitasse, Dominumq́; ac Christum fecisse, & porrò illi confidendum, divinumq́; honorem habendum esse, si quis sempiternam felicitatem adipisci velit. Adde quod viri illi, qui hoc ipsum oculis usurparunt, homines erant obscuri, abjecti, nulloq́; aut dignitatis gradu, aut hominum opinione commendati. Opus igitur fuit, ut divinitùs ad ista testificanda mitterentur, firmissimisq́; mißionis suæ argumentis muniti, in hominum conspectum prodirent, ut quantum in ipsis esset, omnes ad Christo confidendum invocandumq́; adducerent. Ex his omnibus cuilibet intelligenti viro perspicuum esse arbitror, hoc Pauli testimonium de prima illa Apostolorum prædicatione agere: quam cùm nec nostri ministri, nec alii hac ætate, divinum verbum apud populum proponentes, sibi vendicent, Sed tantùm eam repetant, reliquisq́; inculcent: quorsum quæso attinet, missionis, quæ Apostolorum fuit propria, rationem ab illis exigere? cùm, ut demonstrabimus, hæc posterior Evangelii prædicandi ratio, etiam ab illis usurpata fuerit, qui ad eam rem mißi non fuêre.*

Sed pergit Smiglecius: Quærela etiam, *inquit*, quam instituit Dominus contra Prophetas, qui currebant, cùm non mitterentur,

tur, an non omnes Prophetas comprehendit, sive novam doctrinam afferant, sive antiquam, dummodo prædicandi officium ex se sibi usurpent? *Respondemus autem, Smiglecium istud testimonium, quod de illis agit, qui sese Prophetas à Deo missos nominabant, ineptissimè ad eos detorquere, qui sese prophetas minimè gerunt: nec ullam missionem sibi tribuant. Desinat igitur jam tandem cum sua umbra pugnare, & discat, illos, qui hodie reliquos ad Christi Apostolorumq; doctrinam instituunt, quamvis missione careant, veræ tamen charitatis officio ita fungi, ut nec ullam Dei legem violent, nec ordinem perturbent: sed id faciant, quod non solum illis nunquam prohibitum à Deo fuit, sed insuper etiam divinorum hominum tum exemplis tum suffragiis comprobatum. Quid enim, an illi dispersi, qui citra missionem Evangelium prædicarunt, charitatis legem violarunt, ordinemq; perturbarant? Atqui illis manum Domini adfuisse, Lucas testificatur. Id quod verum nequaquam fuisset, si tanto sese scelere obstrinxissent. Quid verò de Apolline dicam? Is certè, ut idem Lucas testis est, etiam tunc cùm nondum perfectam rerum divinarum scientiam teneret, ideoq; missus nequaquam esset, ferventissimo spiritu de Iesu Christo homines docuit, tantumq; abest, ut aut veram charitatem violaverit, aut ordinem perturbaverit, eoq; nomine ab aliquo divino homine reprehensus fuerit, ut etiam à Priscilla & Aquila eum assumptum, viamq; Domini rectius edoctum, aliis deniq; ecclesiis commendatum*

Act. 8. 4. Act. 11. 19, 20, 21.

datum

datum fuisse scriptum legamus. Quidquod illi, qui ex Pauli vinculis, quibus Romæ constrictus tenebatur, arrepta occasione, audacius etiam quantumvis non missi, divinum verbum prædicarunt: idq́; partim candidè, partim per invidiam. Quod tamen Paulum non ægrè tulisse: imò potius summo gaudio perfusum fuisse legimus, Christum sive hoc sive illo modo prædicari, ut facilè Christi Apostolum agnoscere possis. Qui namq́; id unicè cupit, ut Christus ipsiusq́; salutaris disciplina omnibus innotescat, is non curat, quis, quavé conditione is sit, qui eam prædicat, dummodo quod quæritur, quamprimum fiat. Vt enim architectus, quamvis ad domum extruendam certos adjutores habeat: nequaquam tamen charitatis legem ordinemq́; perturbari existimat, ideoq́; nec irascitur, si plures ejusdem artis periti, voluntaria animi inductione socios sese illi præbent, dummodo ædificium quàm primum constituatur: ita & de illis omnibus sentiendum, quibus Dei gloria, Christiq́; domus constructio antiquissima est. Contrà verò, qui sua tantùm commoda spectant, hocq́; unicè student, ut per summam superbiam titulos suos tueantur: interim verò quid de Christi gloria, hominumq́; salute fiat, nihil quicquam laborant, ii ferre non possunt, alios præter ipsos docendi partes sustinere: ut facilè antichristi spiritum agnoscere possis. Verùm non planè iniquè nobiscum agit Smiglecius, si Deo placet, dum nobis concedit, ut ea privatim alii alios doceamus, quæ ipsi à probatis prædicatoribus, hoc est legitimè missis & vocatis didicimus. Ve-

rùm cum hoc eo etiam non monente, multò quàm omnes ipsius aliorumq́; sacrificulorum auditores, diligentius factitemus, frustrà hanc in nobis instituendis operam ponit. Quæ enim à legitimè vocatis ac missis prædicatoribus, quos Apostolos fuisse agnoscimus, nobis relicta sunt, ad ea alii alio instituimus: hoc autem nonnisi privatim, nequaquam autem publicè fieri à nobis debere constanter negamus: nisi volumus, nullas post Apostolorum memoriam Ecclesias *fuisse, aut esse, in quibus publicè* Christi *doctrinam proponere liceat, cùm missio Apostolorum sit propria, qui eam ob causam soli Apostoli, id est, missi, in divinis literis nominantur. Sed conatur Smiglecius suam suorumq́; ea de re opinionem hac ratione confirmare, quod nimirum, qui in* Ecclesia *docet, Dei nomine loquatur, ejusq́; personam repræsentet. Verùm nihil agit, cùm hoc ipsum non solum nullo argumento comprobet: sed etiam minimè necessarium esse videatur, ut ille, qui hoc tempore in Ecclesia docet, & Dei personam repræsentet: cùm ad æternæ felicitatis adeptionem satis sit, in Dei verbo ipsius voluntatem nobis repræsentari, dummodo secundùm eam omnem vitæ nostræ rationem instituamus. Verba Pauli, quibus Smiglecius errorem suum stabilire nititur, nihil quicquam huc pertinent, nimirum hæc:* Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, *(non autem, per ipsum, ut Smiglecius Paulum dicentem facit.) In isto enim loco de Apostolis oratio habetur, qui postquam Christus in cælum elatus esset,*

set, illius loco, novam illam inauditamq́; rem, nimirùm divinæ gratiæ oblationem, toti mundo primi annunciarunt, & ideo merito sese Paulus hîc unà cum aliis Apostolis legatione fungi asserit. Cùm autem nostri ministri nequaquam profiteantur sese nunc primùm, istam Dei voluntatem, tanquam rem novam, mundo proponere, quorsum attinet, ita extra oleas vagari.

Intelligendum autem est, omnia quæ hactenus disputavimus, nonnisi eo spectare, ut minimè necessarium esse pateat, certos quosdam homines in ecclesiis extare, qui legitimè huic muneri præpositi sint: Interim tamen nõ negamus, & olim id factum esse, & etiamnum fieri debere: non quòd sit omnino necessarium, sed quod ecclesiis in certis locis degentibus, certos ministros habere, qui illos quotidie ad pietatis studium, exuscitent, in officioq́; retineant, apprimè conducant. Ad neccessitatem quippe hujus rei demonstrandam, non satis est ostendere fuisse olim ministros ecclesiis præpositos, sed etiam hac adjuncta cautione id factum esse, demonstrandum, ne ulli, præter eos, divinum verbum prædicare, similiaq́; munera obire liceat. Id quod contra esse, jam satis demõstravimus. Vt porrò certi ministri, certis ecclesiis præficiantur, nulla singulari, ut supra docuimus, missione opus est, satis quippe superq́; est, si is, qui & cum pietate vivit, & ad reliquos Christi disciplinà erudiendos accommodatus est, ab ecclesia huic muneri proponatur: nõ quidem ita ut ab ea singularem quandam muneris istius exequendi potestatem accipiat:

cipiat: sed ut ea approbante hanc personam sustineat. Potestatem quippe, quantumvis non singularem, eam tamen quæ ad hoc officio ritè fungendum satis est jam antea illū habere oportet, quàm hæc illi personа imponatur. Quæ quidem potestas, vel in prædicandi divini verbi licētia posita est: vel in iis rebus quibus ministerii essentia naturaq́; continetur, nimirùm in rectè apteq́; docendi facultate, & vita cum pietate traducta. Sive igitur hanc, sive illam Smiglecius intelligat, nihil proficit, dum dicit non populi esse magistratus creare, & legatos Dei instituere, illosq́; potestate spirituali ornare. Cùm nec ministri ullum gerant magistratum, quippe qui non ita gregem Domini pascere debeāt, ut eidem dominentur: sed ut virtutum exemplis præluceant, nec sese pro Dei legatis gerant: nec ullam sibi talem spiritualem potestatem usurpent, qualem Smiglecius somniat: nec deniq; illorum auditores hoc sibi arrogent, ut sese eis horum aliquid dare posse existiment. Satis quippe habēt, propter suprà memoratam potestatem, qua eos jam anteà præditos esse animadvertunt, postulare, ut ipsis divinarum rerum explicatione præeant. Quod quidem absq; omni flagitio fieri posse nemo nō videt. Quid quod in primæva illa ecclesia ministros hoc pacto ordinatos fuisse ex divinis testimoniis constat. Quanquam enim sæpe contigit, ut viri primarii, quales fuerunt Apostoli, aliiq; universæ ecclesiæ alicui, ad hanc rem autores essent: Sola tamen Apostoli alicuius aut primarii alicuiꝰ viri, sineq; Ecclesiæ illius consensu, ministri ordinationem fa-

ctam

ctam fuiße, nulla ratione probari potest. Contrà verò plebem pastores elegisse, illisq; testimonium tribuiße compertissimum est. Nequaquam *enim existimandum est, Apostolos, aut tanta flagrasse dominandi cupiditate: aut ita temerarios inconsideratosq; fuisse, ut vel ecclesiis invitis ministros obtruderent: vel homines sibi ignotos, nulloq; fideliũ testimonio commendatos, tanto muneri præficerent: cùm id Apostolus Paulus ejusmodi hominibus assignari velit, qui etiam ab extraneis bonum testimonium habeant, ne videlicet in diaboli criminationem incidant. Hujus autem rei, illud non obscurum argumẽtum est, quod, ut testis est Lucas, Paulus, Barnabasq;, ministros ordinando unà cum ecclesiis jejunantes Deum precati fuêre. Adde quod nulla causa afferri potest, cur Apostolos in diaconis constituendis, aliam, quàm in ordinandis ministris, normam secutos fuisse, statuendum sit. Atqui scriptum legimus, eos tunc discipulorum multitudine convocata, autores illis fuisse, ut inter se viros bono testimonio ornatos, & divino spiritu sapientiaq; completos dispicerent, quibus pauperum procuratio demandaretur. Quod eos fecisse, & viros electos in Apostolorum conspectu statuisse Lucas testificatur. Quid igitur est, quod alia ratione ministros constitutos fuisse, existimemus? Adde quod etiam expressè à Luca scriptum est, Apostolos per suffragia ministros creasse. Vsus enim est verbo* χειροτονήσαντες, *quod suffragio deligendi significationem habet, ut tum Theodorus Beza, tum magnus ille Erasmus rectißimè annotat. Hoc enim verbum*

ex illa Græcorum consuetudine natum est, qui porrectis manibus suffragia ferebant: ut facilè appareat, id quod suprà diximus, verissimum esse, nempe primarios illos viros ea in re nihil privata autoritate, propriove arbitrio gessisse, nec ulla tyrannide ecclesiam oppressisse. Eandem ministros creandi formam Paulus sine dubio, tum Tito, tum Timotheo præscripsit. Quod si tamen ideo quispiam assensum cohibere cogitet, quod in istis locis, Apostolos ecclesiis seniores aut presbyteros constituisse. Item quod Titum à Paulo in Creta relictum fuisse, ut oppidatim presbyteros crearet, scriptum legimus: is ea, quæ paulò antè hac de re diximus, attentissimè consideret, & comperiet, rei istius nullam aliam causam esse, quam quia Apostoli, aliiq; primarii viri, veluti fuit Titus & Timotheus, ecclesiis ad id faciendum autores fuère: interim tamen ecclesiis dissentientibus, hoc negotium minimè illos suscepisse, jam demonstratum est. Vnde colligitur & Titum, eodem planè modo in Creta presbyteros creare debuisse, cùm ita hoc ab illo Paulum fieri voluisse, ut ei ordinaverat, scriptum legamus. Nequaquam autem verisimile est, Paulum aliter illum ad hanc rem instituisse, quam ipse eam executus fuerat. Hanc eandem ministros constituendi formam, etiam post Apostolos, in ecclesia retentam fuisse, testis est Cyprianus 1. Epist: 4. Plebs, *inquit*, maximè habet potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina autoritate descendere, ut sacerdos

cerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur. *Et paulò poſt:* ut plebe pręſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſic ordinatio juſta ac legitima, quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata. *Hæc ille. Hinc perſpicuum eſt, cùm etiam hodie idem mos miniſtros eligendi apud noſtros homines vigeat, ut nimirum primariis viris ſuadentibus, aſſentienteq; plebe, ii deligantur, qui ad muneris iſtius functionem idonei ſunt, firmè ſtatuimus noſtros miniſtros legitimè ordinatos eſſe: nec ullam præterea miſſionem ſucceſſionemvé requiri, cùm horum neutrum ad miniſterii naturam eſſentiamq; pertineat, & ideò nec à Paulo eandem deſcribente commemoretur. Et hæc quidē de Syllogiſmi à Smiglecio pro nobis conſtructi, majore propoſitione dicere habuimus.*

Veniendum igitur jam tandem eſt ad ejusdem aſſumptionem, quæ à Smiglecio hunc in modum poſita eſt: Atqui miniſtri evangelici neq; ſe gerunt, neq; ſe gerere debent, pro novis Chriſti Apoſtolis ſeu Prophetis. Quod verò ſe non gerant pro Apoſtolis, res eſt manifeſta. Nam Apoſtoli & Prophetæ errare non poſſunt: miniſtri autem evangelici etiam in iis quæ docent (etiamſi perſuaſiſſimum habent ea eſſe veriſſima) fatentur ſe errare poſſe. Quod verò non debeant ſe pro talibus gerere, inde conſtat, quod doctrinam neq; no-

vam, neque ex novis principiis, sed ex scriptis Apostolorum & Evangelistarum haustā doceant. *Ad hanc enunciationum suis prosyllogismis munitam, Smiglecius hunc in modum respondet:* Iam cùm anonymus in assumptione ait, ministros Evangelicos non se gerere pro Apostolis & Prophetis, eo quòd Apostoli errare non possint: ministri verò ultrò fateantur se errare: partim verum, partim falsum asserit. Verum est, imò verissimum quod errare possint ministri: neque possint tantummodo, sed etiam sæpissimè reipsa errent, quotiescunque fidei Catholicæ contradicunt. *Hæc ille. Hîc antequam ad alia, quæ à Smiglecio dicuntur, perveniamus, animadvertendum est, eum ignorationis elenchi fallaciam committere. Quod enim ministri nostri in iis quæ docent sese errare posse fatentur, id non quatenus ecclesiæ Romanæ hodiernæ, quam ipse Catholicam nominat, contradicunt, intelligendum est: Sed ex ea parte, quatenus cum Apostolis comparantur, qui ea quæ docuerunt, non solum oculis usurparunt, manibusq́, ut ita dicam, contrectarunt: verùm etiam qua mente multa scripserint, ipsi optimè noverunt. Quo fit, ut is, qui Apostolus non est, nec Apostolorum tempore vixit, persuasissimum quidem habere posit, se vera dicere: tamen de exploratissima rerum ab Apostolis traditarum scientia, iisdem plurimum cōcedat necesse sit. Luce quippe meridiana clarius est, cum qui rem aliquam, tùm oculis vidit suis, tum literis*

consi-

consignavit, multò certiùs atque adeo omni seclusô errore, & illam quomodo gesta fuerit scire: & scripti sui sensum voluntatemq; tenere, & ideo facilè contingere posse, ut non solum nostri ministri, verùm etiam ipsi pontificii, in multis Apostolorum testimoniis explicandis errent. Quid verò id fieri posse dico? imò eos sæpe turpissimè errasse, & patrum, quibus gloriantur, de multis rebus ad religionem spectantibus, conciliorumque dissensiones, & idololatria manifesta, &, ut rem paucis perstringam, horrenda à Christi Apostolorumq; doctrina defectio, maximum argumentum est. Cujus quidem toties ita convicti sunt, ut jam nullum illis, quo sese defendant, præsidium supersit: præter nugas inanissimas, easq; ita prostratas atq; profligatas, ut mireris hominum istorum summam impudentiã, qui illas subindè proferre audeant, clarissimeq; pateat nos benignè admodum cum illis agere, qui eos labi errareq;, nõ autem contumaciter divinæ veritati resistere dicimus. Tantum autem abest, ut illis contradicendo erremus: ut ad eorum nugas respectu habito, vix aut ne vix quidem errare videamur. Fatemur tamen haud inviti, fieri posse, ut unum alterumq; scripturæ locum secus atq; ab Apostolis scriptus est intelligamus. In iis autem, quibus salutis nostræ summa continetur, nos errasse pernegamus. Nimis enim luculenter scriptum extat, eos qui in Christum credunt, ipsiq; obediunt, & ideo ab omnibus, quæ salutari ipsius doctrinæ contraria sunt, sese abstinent, vita æterna donandos esse. Hæc cum nostri ministri perspectissi-

ma habeant, errores nonnulli alii, qui sempiternam vitam neq; ipsis, neq; auditoribus adimunt, arguunt quidem eos Apostolos minimè esse, viam tamen salutis ex Christi Apostolorumq; doctrina, & ipsos didicisse, & reliquis monstrare posse, sine ulla dubitatione profitentur. Idq; non injuria. Ea enim extitit erga genus humanum Dei benignitas, ut illa scripturæ testimonia, in quibus intelligendis felicitas sempiterna sita est, nulla obscuritate obtenebrari permiserit, omnibusq; testatum reliquerit, per sese minimè stare, quo minus omnibus salutis æternæ consequendæ ratio pateat.

Nihilominus tamen Smiglecius in nostros homines insultare pergit. Ait enim: Si ultrò Evangelici ministri fatentur, se errare posse, quomodo verum est, quod adjungit, illos persuasissimum habere, ea quæ docent, verissima esse? Anné qui docendo errat, persuasissimum habet, se verissima docere? An veritas & error simul consistere possunt? an qui persuasum habet, se in eo, quod docet, errare posse, potest simul persuasissimum habere, verissimum esse quod docet, quasi in re verissima locus errori esse possit. *Hîc quantum video, Smiglecius ingenii sui acumen ostentare voluit. Atqui hoc ipso effecit, ut ipsius aut acumen, aut certè candorem desideremus. Primo enim secum pugnare aut putat, aut sese putare simulat, Persuasum habere rem quampiam verissimam esse, interim tamen hoc ipso falli posse. Quod si in ea est*

senten-

ſententia, neceſſe eſt, ipſum unà cum ſuis, maximè inconſtantiæ vitio laborare, quippe qui in omnibus confeſſionis ſuæ capitibus turpiſſimè erret: cùm tamen ſeſe minime errare perſuaſiſſimum habeat. Sciat igitur Smiglecius nequaquam repugnare, rem aliquam perſuaſam habere, quia nimirum nullum adhuc nobis falſitatis veſtigium apparet: & interim credere fieri poſſe ut meliora doceamur, dummodo interea temporis, noſtram ſententiam firmiſſimè teneamus. Ex epiſtolis namq; Pauli cognoſcimus, etiam in illa primæva eccleſia, multos fideles, non ſolum multò aliter ac par erat, intellexiſſe, ſed etiã quemq;, ipſo Apoſtolo monente, in ſuo ſenſu abundaſſe: nihilominus tamẽ ſpem illis oſtenſam fuiſſe cernimus fore, ut illa, de quibus aliter ſentiebant, Deus eis retegeret, quamvis dum id fieret, in ſententia manerent. Vt igitur à ſentẽtia ſuſcepta ſine ulla cauſa diſcedere levitatis eſt: ita eam mordicus tenere velle. ſi vel maximè futurum ſit, ut veriora docearis, animi ſuperbi Deiq; benignitatem contumaciter repudiantis argumentum eſt. Phil. 3 15.

Iam quod Smiglecius dicit, ideo nullum hominem cordatum in miniſtrorum noſtrorum doctrina conquieſcere poſſe, propterea quod erronea ſit, ipſiq; ſeſe errare poſſe fateantur: *intelligendum eſt, eum hic non uno modo labi. Primò enim non ſequitur, ideo miniſtrorum noſtrorum doctrinam erroneam eſſe, quòd ſeſe in quibuſdam errare poſſe non diffitentur. Aliud quippe eſt, quempiam fateri ſe errare poſſe: aliud reipſa*

 erra-

errare. Deinde nequaquam fatentur, imò pernegant sese in iis errare posse, in quibus salutis æternæ summa consistit, ut paulò antè ostendimus. Hinc perspicitur, perperam à Smiglecio concludi, eos simpliciter errare, falsaque docere, nullumque cordatum hominem in erronea illorum doctrina conquiescere posse. *Cùm enim in divinis rebus cognoscendis hoc maximè spectandum sit, ut æternam beatitatem consequamur, quilibet cordatus homo, in ea doctrina conquiescere potest, quæ omni errore secluso salutis æternæ rationem complectitur. Quam quidem nostros ministros tenere ac profiteri manifestissimum est. Contrà verò falsissimum est, quod Smiglecius subjungit:* Nostri doctores Catholici, *inquit*, quamvis si suos sensus sequantur, errare ut homines possint: tamen cùm doctrinam ecclesiæ Catholicæ prædicant, errare nullo modo possunt. *Cùm enim per Ecclesiam Catholicam nonnisi hodiernam Romanam ecclesiam intelligat, manifestum est, ejus doctores non solùm tunc errare, cùm suos sensus in consilium adhibent, sed etiam cùm ejusdem Romanæ ecclesiæ doctrinam prædicant, quippe cujus nullam partem veram esse, jam à multis annis doctissimorum hominum tum scriptis, tum sermonibus ostensum est. Neq; enim illa Pauli verba, Ecclesia Dei vivi columna & firmamentum veritatis, ex quibus Smiglecius causæ suæ præsidium petit, quicquam eum juvare possunt: cùm non solum Romanensem cohortem veram Christi Ecclesiam esse minimè*

nimè constet, sed etiam non de omni simpliciter, verùm de salutari tantùm veritate, in isto testimonio mentio fiat, ut à nobis alibi demonstratum est. Quam cùm Romanenses non teneant, vel ex hoc ipso convincitur, eos veram ecclesiam minimè esse, quippe quæ hanc ipsam ob causam, veritatis columna nominetur. Qua de re suo loco uberius explicandum nobis erit.

Pergit Smiglecius, nostrosq́ ministros falsum dicere ait, quod sese pro Apostolis & Prophetis non gerant. Demonstratio, *inquit*, est manifesta. Quicunque munus Apostolorum sibi vendicat, is se pro Apostolo gerit. Apostoli siquidem ratione sui muneris Apostoli sunt & dicuntur. Ministri verò Evangelici munus Apostolicum prædicandi & sacramenta ministrandi sibi vendicant. Gerunt igitur sese pro Apostolis. Nam pro Prophetis, non est quod se gerant, cùm nihil unquam veri dixerit spiritus mendacii. *Hæc Smiglecius. Quam quidem ratiocinationem cùm suprà manifestæ falsitatis convincerimus, non est cur hic idem repetamus. Illud verò delirio simile est, quod Smiglecius, dum hoc præcipue agit, ut nostros ministros ad suæ missionis autorem ostendendum compellat, ideoq́ eos sese pro Apostolis gerere convincat, in hæc tandem verba prorumpit:* Quanquam id quòd dicunt suos ministros non se gerere pro Apostolis concedi quadam ratione potest. Apostoli enim non sunt, cùm à missione Apo-

ſtoli nomen acceperint. Cùm igitur miniſtri Evangelici ſuam miſſionem nec velint nec poſſint oſtendere, hoc ipſo Apoſtoli non ſunt. *Hîc cordatus lector attentè conſideret, quam rem Smiglecius agat, & comperiet eum non ſolum ſibiipſi repugnare, eaq; quæ una manu, ut ſic dixerim, ædificaverat, altera diruere, dum noſtros miniſtros jam ſe pro Apoſtolis gerere aſſerit: jam id minimè eos facere concedit: Verùm etiam ſeipſum accuſare, ut qui hactenus unà cum ſociis ſuis, per ſummam temeritatem, miſſionem ſibi aſſumpſerit. Quia enim concedit miniſtros noſtros ſeſe pro Apoſtolis non gerere, idq; jure eos facere haud obſcurè indicat, propterea quòd non ſunt Apoſtoli, nec miſſionem ſuam oſtendant: conſequens omninò eſt, cùm nec Smiglecius Apoſtolus ſit (quod idem & de omnibus ipſius ſociis dictum volumus) eum ſuperbè admodum falſoq; ſeſe pro Apoſtolo & hactenus geſſiſſe, & etiamnum gerere, ideoq; miſſionem ſibi tribuere. Qui enim, ut ipſe fatetur, atq; adeò urget, Apoſtoli à miſſione nomen acceperint, ſequitur, eos, qui Apoſtoli non ſunt, miſſos nequaquam eſſe. Apoſtolos quippe nonniſi primos illos Evangelii præcones, apoſtolatusq; officium planè ſingulare, ipſorumq; proprium fuiſſe, ſatis jam conſtare exiſtimo. Vnde colligitur, non ſolum hodie nullum dari poſſe, qui in hoc munere illis ſucceſſerit: ſed etiam tunc, cùm adhuc in vivis eſſent, cumq; varia dona in eccleſia vigerent, his ſolis Apoſtolorum nomen conveniſſe. Adde, quod ejusdem muneris ratione non ſolum ab univerſa fide-*

ſa fide-

sa fidelium multitudine: sed etiam ab illis, qui alia tunc pro donorum Dei varietate, publica sustinebant officia, apertè in divinis literis distinguuntur. Agnoscat igitur Smiglecius, id quod in nostris ministris requirit, non solum sibi ipsi deesse, verùm etiam ne hoc quidem sese cum suis assequutum esse, quod nostri ministri suo jure quodammodo sibi vendicant, nimirum sese eorum, qui Apostoli, & ideo propriè vereq; missi fuerunt, multò quàm Romanenses sacrificuli, esse similiores: quippe qui tanti Apostolorum doctrinam faciant, ut omnibus commentis, omnibus fabulis, anilibusq; nugis spretis, aliis contemptis, huic uni adhæreant, ejusq; puritatem ab omnibus additamentis integram conservare studeant. Qua quidem de re Smiglecium aliosq; Romanenses jurè gloriari minimè posse omnes sani intelligunt. Sed mittamus ista tandem, videamusq; qua ratione Smiglecius huic miseræ afflictæq; causæ suæ subvenire conetur. Dicit igitur, se quadam ratione ministris nostris concedere, quòd sese pro Apostolis non gerant, nimirum quatenus suam missionem nec volunt nec possunt ostendere. *Quasi verò ulla alia ratio dari possit, qua sese eos Apostolos facere demonstrari possit. Ea enim quam hìc affert Smiglecius, nempe nostros ministros, Apostolicum sibi munus assumere, prorsus jam convulsa est, prostrataq; jacet.*

Sed pergamus ad reliqua. Dicit Smiglecius, anonymum asserere suos ministros non afferre novam doctrinam, sed acceptam ab

Apostolis, & in sacris literis consignatam.
Hic, ut supra etiam innuimus, candorem Smiglecii desideramus, cùm anonymus non dixerit nostros ministros acceptam ab Apostolis doctrinam tradere, sed se id facere profiteri: quod satis est ad missionis ostensionem excludendam. Verùm demus anonymum sic locutum fuisse, num protinus verum erit, quod Smiglecius subjungit, nimirùm tantùm id à vero abesse, quantum cælum à terra? *Nequaquam. Cùm hoc ita esse neq; Smiglecius neq; ullus alius hactenus probaverit, nec probaturus sit unquam. Argumentum enim, quod ad rei istius demonstrationem affert, futile inaneq; est, cùm inquit:* Doctrina Apostolorum non periit in mundo cum Apostolis, sed ad finem usque mundi perpetuari debuit ad consummationem sanctorum, donec occurramus omnes in unitatem fidei in virum perfectum. At isti toti antiquitati contradicunt, nihilque illis est æquè difficilè, quam ut ex tota antiquitatè unum aliquem Evangelicum fidelem proferant, qui eam in omnibus fidem tenuerit, quam ipsi modo prædicant. *Hæc Smiglecius. At verò qualis hæc argumenti istius connexio est. Apostolorum doctrina non periit cum Apostolis: At isti toti antiquitati contradicunt, &c. Ex his sumptionibus nectenda erat conclusio, sed quia vinculum, quo id fieret, defuit, scopas istas ita dissolutas relinqui oportuit. Quod si dicat Smiglecius se hîc non argumentari, sed nudas sumptiones ponere (quamvis*
id

id aliter se habere ipsa verborum collocatio ostendat) quantum id ad nos convincendos vim habeat, ipse judicet. Sed fortasse implicitè argumentatur hoc loco Smiglecius, suamq; raticinationem in hunc syllogismum resolvi posse existimat. Quicunque toti antiquitati contradicunt, illi Apostolicam doctrinam non tradunt. Atqui isti toti antiquitati contradicunt, Ergo, &c. Respondemus autem, istam argumentationem partim falsa partim ambigua continere. Propositio enim, de qua primò dicemus, duos sensus trahet, falsum nimirum & verum. Falsus est, quo innuitur, eos etiam Apostolicam doctrinam minimè tenere aliisq; tradere posse, qui quamvis primæ illi Apostolorum antiquitati non contradicant, adversantur tamen posteriori recentiorivé. Et hanc quidem Smiglecii mentem esse, ex his ipsius verbis colligitur: Nam doctrina Apostolorum non periit in mundo cum Apostolis: sed ad finem usque mundi perpetuari debuit. *Dicimus igitur propositionem ex ea parte, quatenus in hunc sensum à Smiglecio accipitur, falsissimam esse. Manifestissimum quippe est eos Apostolicam doctrinam tradere, qui eam prædicant disciplinam, quam ipsi Apostoli divulgarunt, quæq; illorum ætate viguit. Quod si iidem recentiori antiquitati contradicunt, non tam in illis quam in hac culpa hærere videtur, quia nimirum à prima illa antiquitate defecerit. Quod enim dicit, Apostolorum doctrinam non periisse cum ipsis, obiter animadvertendum est, eum asserere Apostolos periisse ipsorum doctrina manente.*

Vnde

Unde colligitur, nullius ecclesiæ, & sic ne Romanæ quidem ministros, Apostolorum sibi titulum arrogare meritò posse. Sed ad rem. Asserit Smiglecius Apostolorum doctrinam usq; ad finem mundi perpetuari debuisse. Quod quidem ambiguè dicitur. Cùm enim hoc loco verbum perpetuandi, verbo pereundi opponatur, consentiens est; ut vel hoc dicere velit Smiglecius, Apostolorum doctrinam, quatenus sacris literis consignata est, divina providentia usq; ad finem mundi conservandam fuisse, quod quidem nos lubentißimè concedimus, deq; hoc summo Dei beneficio ipsi ingentes agimus gratias, quamvis, quo pacto hoc Smiglecii causam juvet mininimè videamus: Vel vult Smiglecius nunquam futurum fuisse, ut homines ab Apostolorum disciplina deficerent. Quod quidem falsissimum esse, proh dolor, experientia cognovimus. Inducta quippe est horrenda idololatria, unà cum aliis pestilẽtißimis erroribus, & ideo verus Dei cultus extinctus, salutaris Christi doctrina partim obscurata tenebris, partim lõgo intervallo prorsus occultata demersaq; jacuit. Et quidem defectionis atq; impietatis istius mysterium, viventibus adhuc Apostolis peractum, & non multò post illorum obitum, in Ecclesiam irrupisse Apostolus Paulus clarissime testificatur. Et hæc quidem de falso majorũ propositionis sensu dixisse satis sit. Verus porro ejusdem sensus est, si intelligitur, non solum eos, qui recentiori, sed etiam illi primæ Apostolorum antiquitati contradicunt, Apostolicam doctrinam minimè tradere. Quod autẽ in assumptione (ad quam statim

aggre-

aggredimur) nos eos esse asserit, longè fallitur. Non *negamus quidem, nos antiquitati posteriori, quæ ad Apostolorum ætatem respectu habito, antiquitas verè nominari non potest, propter jam dictas causas contradicere. Verùm hoc non est omni antiquitati resistere, cùm illam primam verissimamq; antiquitatem libenter amplectamur, non tamen ob id ipsum quod antiquitas est: sed quod veram Christi doctrinam tenuit secutaq; est. Hinc apparet, non antiquitate per se ulla: sed veritate nos convincendos esse. Nam & Græcam orientalemq; Ecclesiam, Latina Romanavé ecclesia antiquiorē esse nemo opinor negat: Nec tamen Romanensibus illis contradicere religio est: quippe, qui ut de aliis multis, ita de ecclesia quænám ubivé sit, ab illis dissentiant: nimirum quia antiquitate minimè contenti, firmiora ad sese confutandos argumenta postulant. Ex iis quæ diximus perspicuum est, etiam illud falsò in nos dici, nimirum nullum ex tota antiquitate à nobis proferri posse, qui nobiscum per omnia sentiat, cùm id unicè agamus, ut antiquissimis illis, qui Apostolorum tempore vixerūt, Christi discipulis, tum salutaris veritatis confessione, tum religionis pietate, simillimi simus. Id quod Romanensem ecclesiam nequaquam curare manifestissima ista, ab Apostolorum tum disciplina tum vita, defectio maximum argumentum est. His ita constitutis tempus est, ut tandem ad Smiglecii decem argumenta veniamus, eaq; nullo nodo gordio connexa, sed telæ ab araneis textæ simillima esse demonstremus. Hoc tamen Smiglecium ipsiusq;*

socios rogatos volumus, ut si nodum istum solverimus suo stent promisso, opinionesq; de missa, de imaginibus, de sanctorum invocatione, de purgatorio, husq; similibus nugis deponant.

Primum Smiglecii argumentum hoc est.

Quicunq; non est legitimè vocatus & missus, non potest esse legitimus minister.

Ministri Evangelici, non sunt legitimè vocati & missi.

Non sunt igitur legitimi Ministri.

Hunc Smiglecii paralogismum ut evidentissimè refellamus, animadvertendum est, eum & in formam & in materiam syllogismorum peccare. Nam quod attinet formam, miror Smiglecium ex puris negativis suam assertionem concludere voluisse. Iam in materiam peccare videtur, quia & Ministros Evangelicos legitimè vocatos esse per summam injuriam negat: &, si ea ratione, quam ipse legitimam nominat, vocati non sint, protinus legitimos ministros non esse falsò asserit. Quorum illud ea re à nobis dicitur, quòd facta inductione per omnes Evangelicos Ministros, nullum in medium afferre potest, qui ordine in sacris literis præscripto, de quo jam multoties dictum est huic muneri præfectus non sit. Hoc verò ideo constanter affirmamus, quòd, ut jam sæpius à nobis demomstratum est, externa ista ministrorum vocatio, nequaquam ministerii essentiâ continetur.

Ad testimonia sacra aliaq; quæ quidem ad nos pertinent, quibus Smiglecius suam causam constituere co-

ere cogitat, partim jam supra responsum est, partim nunc respondebitur. Pergit enim Smiglecius, & tanquam re optimè gesta triumphat, dicens: Iam satis cõstare, sine vocatione & missione nullum posse esse legitimum ministrum, ideoq; neceesse sse ait, ut verbi ministri, aut immediatè aut mediatè sese missos vocatosq; esse ostendant. *Nos verò ut id falsum persuasissimum habemus, jamq; evidentissimis rationibus ostendimus, ita neutro missionis genere divini verbi ministros obstrictos esse constanter asserimus, quanquam interim, mediata Evangelicos ministros, vocatione missioneve carere Smiglecius, nec probavit, nec probaturus est unquam. Nec enim ut mediatè quispiam huic muneri præficiatur, opus est, hoc per illos fieri, qui ipsi divinitùs missi sunt, ut Smiglecius præter omnem scripturæ autoritatem asserit, cùm hoc totum negotium, ecclesiæ consensione perfici posse, jam suprà à nobis demonstratum est: quamvis ut jam multoties docuimus, hoc ad ministerii essentiam minimè spectet. Vnde perspicitur, præter alia quæ hoc loco à Smiglecio dicuntur, etiam illud futilissimum esse, quod ait,* Evangelicos ministros, hoc ipso suam missionem constituere velle, quòd & verè divinum verbum prædicent, & huic contraria rejiciant. *Nam nec veri Evangelici hoc unquam dicũt: nec si sint, qui ita loquantur, satis hîc à Smiglecio refutantur. Ridiculum enim est, quod ad hanc sententiam repellendam,* non ex prædicatione missionem, sed ex missione

prædicationem probandam esse, *ait. Idq; ideò, quòd prior sit missio, quàm prædicatio. Quæ quidem consecutio, quam rectè constituta sit, homines intelligentes judicent. Equidem minimè absurdum esse existimaverim, prius ex posteriore agnosci probariq; posse. Cùm verbi causa, effectus, quantumvis sua causa posterior sit, eam tamen arguat atq; demonstret. Quod idem in multis aliis rebus fieri videmus: quæ cùm ita sint in promptu, ut disputatione non egeant Smiglecium ad rectæ rationis judicium revoco, illudq; addo, quòd, si, ut vult Smiglecius, prædicatio cum mißione tam arcto vinculo conjuncta est, ut sine hac illa consistere non possit, nihil causæ est, quin ex vera divini verbi prædicatione missio co-*
Rom. 10. *gnoscatur. Quod enim Pauli testimonio, id quod dicit, confirmare nititur, frustrà facit, cùm nec Paulus ibidem neget, ex divini verbi prædicatione missionem colligi posse: nec, ut suprà ostendimus, locus iste, similesq; alii à Smiglecio passim adducti, quicquam ad rem propositam faciant: cùm hîc, non an Apostolos Prophetasq;, qui novum tunc nuncium sese afferre profitebantur, sed utrum ministros nostros missos esse oporteat, quæratur, qui nimirum doctrina olim ab Apostolis tradita contenti, nihil sese novi afferre ingenuè fatentur. Quid autem, ut ad rem redeam, dico, Paulum non negare ex vera divini verbi prædicatione, missionem illam, de qua loquitur, agnosci poße: cùm eum id plusquàm apertè affirmare, ipse verborum contextus doceat. Vt enim in egregia illa gradatione, qua eodem in loco utitur,*
ex

ex Christi invocatione colligit fidem eidem adjunctam, ex fide auditionem, ex auditione prædicationem: quamvis tum fides invocatione, tum auditio fide, tum auditione prædicatio prior sit: ita ex prædicatione missionem demonstrat. Prædicatio enim illa ejus generis fuit, ut homines prudentes, minimeqúe socordes, ex ea facile missionem concludere possent. Quæ tamen non perinde à nobis dicuntur, quasi denuò cum aliis Evangelicis facientes, missionem hodiernis ministris necessariam esse statuamus: sed, ut Smiglecius videat, se illorum opinionem parùm solidè confutasse. Deinde, quod inter alia dicit, legitimam, seu ut ego interpretor, veram prædicationem ex missione dependere, id si necessariò, præsertim ad hujus ætatis ministros respectu habito, fieri judicat, toto cælo errat: cùm etiam illum verè salutarem Christi doctrinam apud alios proponere posse, qui missus non est, jam ad nauseam usq; ostensum sit. Quò fit, ut licet illos Evangelicos errore minimè liberemus, qui ex vera Evangelii prædicatione, hoc tempore missionem suam probare volunt: tamen nec Smiglecium optimè sentire judicemus, qui hac ætate ex missione veram verbi divini prædicationem cognosci debere asserit: cùm prædicatio ex divino verbo, quod sese ministri nostri prædicando sequi profitentur, dijudicanda sit, nullaq; alia regula stateravé hodie sit, ad quam omnes disciplinæ perpendere oporteat, præter Dei Christiq; verbum sanctis literis comprehensum, ut in aliis scri-

 ptis

ptis nostris, tum sacræ Scripturæ, tum patrum testimoniis demonstravimus.

Sed jam ad alia quædam à Smiglecio allata veniendum est, & primò quidem ad ea quæ de Morneo dicit: nimirum eum negare miracula à Ministris exigenda esse, quia non novam doctrinam inducant, sed antiquam instaurent & reforment. *Quæ quidem Mornei ratio satis firma est; nihilominus tamen Smiglecius eam infirmare conatur hoc pacto:* Nemo, *inquit*, hunc honorem sibi assumere potest, nisi qui vocatus sit tanquam Aaron: nemo potest prædicare, nisi mittatur. Quare ne ad reformandam quidem religionem potest sibi quisquã potestatem usurpare. *Hic tripliciter labitur Smiglecius. Nam & eum locum adducit quem ad rem propositam nihil quicquam facere satis jam ostendimus: & illud asserit, quod est in controversia, nempe neminem prædicare posse nisi mittatur, & deniq; ex partim ad rem nihil pertinẽtibus: partim controversis, atq; adeo falsis concludit, ad Ecclesiæ reformationem, Aaronicam vocationem Apostolicamq; missionem requiri. Quanquam & hoc ipsum non leve in disputando vitium est, loco solutionis argumenti ab adversario oppositi, suum aliud afferre. Neq; enim Morneum istum tam stupidum fuisse existimaverim, quin in sua ratiocinatione addiderit docueritqúe, ad instaurandam Ecclesiam satis esse, si illa principia in manibus habeantur, ex quibus Ecclesia nata est; cùm ex illis quam procul quibusq; in rebus à salu-*

à salutari veritate aberratum sit, liquido cognosci possit. Qua quidem de re in libro nostro, de vera religione uberiùs explicavimus.

Verùm non satis habuit Smiglecius hoc uno argumento Mornei ratiocinationem, si Deo placet, refellere: sed insuper ad incommodum absurdumq; eum deducere conatur, inquiens: Nunquid si hæc licentia semel concedatur unicuique reformandi ad libitum religionem, non emergent subito innumeri reformatores, qui ut variis religionibus imbuti erunt, ita varias inducere reformationes molientur. Velint Arriani reformare Calvinistas, certè Calvinistæ debebunt talibus reformatoribus obedire, si ad reformationem non est opus speciali vocatione & missione divina. Quare necessariò fatendum est, si quis se dicat à Deo missum ad reformandum, debere proferre miracula, vel alia de cęlo testimonia. *Hic antequam consecutionem istam falsam esse doceamus, animadvertendũ est, Smiglecium in ea terminos ita mutare, ut jam aliquem sibi reformandi potestatem usurpare: jam alicui reformandi licentiam concedi: jam aliquem reformare velle: jam aliquem dicere se à Deo missum ad reformandum, asserat. Quæ quidem terminorum confusio, an in tantum disputatorem cadat, quantus vult haberi Smiglecius, aliorum esto judicium. Nimis enim manifestum est, confusis terminis inter se, non verbis tantummodo, sed re etiam distantibus, confundi & plu-*

plures quæstones, dubiumq́ esse qua de re disputetur. Ego quidem, quod ad me attinet, faciant alii quid velint, ultimum pronunciatum non agnosco, id est, aliquem cœtus nostri ministrum esse, qui dicat, se ad reformandum mißum esse, plane nego: quamvis si maximè quispiam sibi missionem istam tribueret: nequaquam tamen inde consequeretur, id, quod Smiglecius asserit. Quod ut verißimum esse constet, jam tandem Smiglecii consecutionem ponderabimus. Ea autem triplex est: Prima, quòd subito varii emergerent reformatores qui variis hæresibus imbuti, varias inducerent reformationes. Hîc primum dico minimè necesse esse, ut data licentia reformandi unicuiq́, mox ejusmodi reformatores existant, qui & ipsi hæretici sint, & hæreses inducant: cùm fieri possit, ut potius hæreses, quæ in ecclesiam irrepserunt, detegant, atq́ convincant: id quod hactenus factum esse & etiamnum fieri compertißimum est. Deinde, si maximè varii hæretici hæresesq́ ex hac licentia existerent: tamen ea re nequaquam hominib: deneganda est: ne simul aditus ad patefaciendos depellendosq́ errores præcludatur. Id quod sine maximo Reipub. Christianæ derimento fieri non posset: ut facile appareat hujus licentiæ negationem, summum diaboli stratagema esse, quo homines in erroribus rerumq́ salutarium ignoratione, detinere hactenus studuit. Iam quod ad hæreses attinet, erumpant sanè ex ista licentia, cùm eas existere in ecclesia oportere, idq́ sine dubio ipso Deo permittente, Paulus Apostolus luculentißime doceat.

doceat. Et eam quidem ob rem nusquam scriptum legimus, aliquem, quicunq; is tandem fuerit, prædicatione fuisse prohibitum. Quinimo omnia explorare, quodq; bonum est tenere, spiritus probare, hæresesq; fugere apertissimè jubemur. Quod quidem quo pacto, licentia prædicandi sublata, fieri possit, non video.

Altera consecutio quàm hinc extruit Smiglecius, est, quòd si Arriani velint reformare Calvinistas, oporteat hos illis obedire, si ad reformandum non est opus speciali vocatione. Verùm hoc ineptè hinc colligi, planeq; alogon esse, inde patet, quòd Calvinistæ ad sui reformationem nequaquam necesse haberent quærere utrum vel Ariani, vel alii ad reformandi munus missi vocatiq; essent. sed an ex divinis literis errorum ab illis convincerentur. solam enim Scripturam sanctam illam stateram esse, ad quam omnes disciplinæ examinãdæ sunt, jam supra alibiq; tum à nobis, tum ab aliis doctissimis viris firmißimè demonstratum est.

Tertia Smiglecii consecutio est, quod necessariò fatendum sit, si quis se dicat esse à Deo missum ad reformandum, debere proferre miracula, vel alia de cælo testimonia: neq; æquum esse in re tanti momenti, nudis tantum cujusq; verbis fidem adhibere.

Hîc rursus animadvertendum nostros ministros non dicere, se ad reformandum mißos esse. Deinde, si maximè dicerent, tamen miraculis ad id ostendendum opus minimè esset, cùm ad reformationem satis sit, ex divinis literis jam olim miraculis confirmatis,

matis, errores, si qui sint, convincere atq; repellere. Quod quidem plane ita se habere, ipse Smiglecius suo se gladio jugulans, Iosiæ Regis Esdræq; exemplo demonstrat. Nam nec ulla religionem reformando ediderunt miracula: nec reformatio illa ex ordinario pastorum munere pendebat: cùm licet Esdras Levitarũ genere natus fuerit: idem tamen de Iosia dici nequeat, quippe ex Regum familia ortum habente. Regum autem ordinarium munus nequaquam fuisse, res ad divinum cultum institutas administrare, nemini obscurum est: ut facilè appareat religionis instaurationem non ad ordinariam sacerdotum potestatem aliquam alligatam, illiusvé propriam esse: sed esse rem, & sacerdotum, & eorum qui sacerdotes minimè sunt, communẽ: quippe quæ ex divinis literis, quæ omnium communes sunt, fieri debeat. Quod autem Smiglecius Helciam sacerdotẽ librum Legis restituisse ait, nihil ad rem pertinet: cùm aliud sit, librum Legis invenire, Regiqúe Iosiæ mittere: aliud etiam ex illo religionem reformare. Quod quidem non Helciam, sed Iosiam fecisse scriptum legimus. Hic enim librum illum cunctis audientibus legit. Hic à sacerdotibus aliisq; omnia fieri imperavit, quibus ad divinum cultum ab omnibus errorum maculis repurgandum opus esset. Huic deniq; totum istud negotium, tanquam autori, adscribitur, ut ex toto verborum contextu apparet, maximè autem versu 5, 7, 10, 11, 12, 13, 14, 15, &c.

Reliqua, quæ Smiglecius in libri sui quarto quintoq; capite disputat, partim jam repulsa à nobis sunt,

sunt, partim ad nos minimè pertinent: cùm nos nequaquam ii simus, qui ministrorum missionem sive mediatam sivè immediatam urgeamus. Veniendum igitur nobis est ad secundam Smiglecii demonstrationem, quam hunc in modum constituit.

Veri & legitimi ministri ritè ordinari & consecrari debent.

Ministri Evangelici non sunt ritè ordinati & consecrati.

Non sunt igitur legitimi ministri Evangelici.

Respondeo & nego tum propositionem tum assumptionem, quippe cujus falsitas jam supra ostensa sit. Propositionem autem falsam ideò asserimus, quod ut jam docuimus, etiam missio, à ministro necessariò exigenda minimè est, cùm tamen multò quam ordinatio consecratioq; externa magis ei convenire videatur. Si igitur quod magis ministro inesse videtur, eidē necessario nō inest: non inerit etiam id necessariò, quod illi minus inesse videtur. Sed videamus quo pacto Smiglecius hanc suam propositionem probare nitatur. Adducit igitur exemplum tum Christi sanctificati, tum Iohannis Baptistæ in utero materno Spiritu S. repleti, tum Apostolorum in quos Christus insufflaverit, tum illorum presbyterorum, quos Apostoli singulis ecclesiis præfecerant, cum jejuniis orantes, tum deniq; Timothei, quem Paulus manuum impositionis cerimonia ordinaverit. Affert præterea alia quædam ad assertionis suæ confirmationem, de quibus suo loco videbimus. Ad

hæc

hæc autem quod attinet, intelligendum est, non solum eis Smiglecii propositionem non confirmari: sed etiam una cum toto syllogismo planè infringi: idq; duplici ratione; Primo enim hanc suam propositionem particularem facit, dum nimirum non generalibus præceptis, quæ sola hujus generis enunciationes stabiliunt: sed particularibus exemplis, in singularibus rei istius rationibus constitutis, eam probare instituit, quasi verò non legibus potiùs, quàm ejusmodi exemplis de his rebus judicandum sit. Quid quod exempla ista nihil aliud convincunt, quàm quosdam divini verbi ministros externa ratione ordinatos fuisse, aut ordinari posse, nequaquam autem ordinandos esse, aut, ut inquit Smiglecius, ordinari debere? ut facilè appareat Smiglecium & in syllogismorum formam, & aliqua ex parte in materiam peccare. In formam, dum in secunda figura propositionem ponit particularem: In materiam, dum in hac propositione id dicit, quod exemplis istis comprobari non potest: nec dubium est, quin firmiora attulisset Scripturæ testimonia, si usquam extarent. Christum, Iohannem, Apostolos, propriè missos sanctificatosq; sive segregatos fuisse nō negamus, quippe cùm ob sæpe jam inculcatas causas ita facto opus fuerit. Quid verò id virium habet ad omnes verbi ministros ejusmodi consecratione obstringendos, qui nimirum, rem sese novam terrarum orbi annunciare minimè profitentur? Adde quod tum seniorum per singulas ecclesias constitutio, tum Timothei, quē Paulus miserit, exemplum, propriæ missionis nomi-

ne

ne inſigniri jure non poteſt. Aliud quippe eſt de Eccleſiæ ſententia ſeniores ordinare: aliud ita aliquem mittere, ut Chriſtus, Iohannes, Apoſtoliqúe mißi ſunt, quippe cùm hoc à nullo hominum conſenſu, ſed ex mera Dei voluntate dependeat. Accedit quod nec ex ipſa Seniorum per ſingulas Eccleſias ordinatione, rectè colligitur neceſſarium omninò eſſe, ut omnes verbi miniſtri eodem modo conſtituantur: cùm fieri poßit, ut non neceßitatis, ſed ordinis potius decorisq́ causa, hac miniſtros conſtituendi ratione, Eccleſiæ tunc uſæ fuerint. Quam quidem & hodie in Eccleſiis conſtitutis, eadem de cauſa retineri æquum eſſe ſtatuimus: quamvis abſolutam ipſius neceßitatem negemus: niſi Smiglecius generalem canonem in ſcriptura expreſſum afferat, quo ſancitum ſit, ut ubiq́ & omni tempore, miniſtri hoc pacto ordinentur: quodquidem mea ſententia nunquam faciet. Eodem modo de omnibus aliis rei iſtius exemplis, quæ Smiglecius in medium affert, judicandum eſt. Quod autem dicit legitimam ordinationem & conſecrationem ita epiſcoporum propriam eſſe, ut nulli præter ipſos poßit convenire, id nimirum nullo ſcripturæ teſtimonio probabit unquam. Exempla enim ab illo adducta, partim id minimè continent quod aſſerit, partim ejus concludendi, nullam vim habent. Ac illud quidem inde patet, quod nec Paulus cum Barnaba ab Eccleſia Antiochana ipſiusq́ prophetis & doctoribus ad docendi munus ordinatus miſſusvé fuit, cùm Paulum jam antea Apoſtolum fuiſſe, Barnabamq́ unà cum Paulo jampridem docendi

cendi munus administrasse constet. Unde colligitur opus illud, ad quod Deus eos assumpserat, fuisse non munus docendi, sed aliud quippiam, idq; sine dubio singularißimum, & porrò nullam generalem regulam sive legem, qua omnes perpetuò obstringantur, constituens. Timotheum porrò à Paulo missum fuisse nusquam scriptum extat, nec verbis à Smiglecio adductis demonstrari potest. Non enim dicit Apostolus, Exuscita munus docendi, sed, Gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum. Gratia autem illa non ministerium erat, quippe quod exuscitari nequeat: sed dona illa spiritualia, quæ Timotheus aßecutus fuerat. Et quidem rem ita sese habere etiam hinc colligitur, quod longè alia ratione Timotheum ad ministerii munus ordinatum fuisse, literis proditum est, nimirum per prophetiam hominumq; sanctißimorum, sive Christi Ecclesiæ suffragia presbyteriiq; manuum impositionem. Presbyterorum autem nomine non solos episcopos intelligendos esse hinc perspicitur, quod episcopi munus in docendo consistit: non omnes autem presbyteros docendi munus sustinere, Paulus non obscurè testificatur, dum presbyteros quosdam ab illis qui laborant verbo & doctrina distinguit. Egregiè igitur Smiglecius fallitur, qui ministrorum ordinationem episcoporum propriam esse, nulliq; præter ipsos convenire posse asserit. Iam quod Paulus Timotheo præcipit, ut manus nemini citò imponat, valde dubium est, an ad ministros id referendum sit, cùm nihil prohibeat, quo minus generatim ad omnes, qui peccandi

consue-

consuetudine implicati sunt, verba hæc respicere statuamus, præsertim cùm ii qui eandem ob rem ecclesia excludebantur, postea autem ad frugem reversi per manuum impositionem, in fidelium numerum denuò reciperentur, ut & nos alio in loco demonstravimus, & Smiglecius ignorare non potest.

Sequitur ut videamus quomodo omnia exempla ista id minimè concludant, quod Smiglecius asserit. Dicimus igitur, ut & jam diximus, non exẽplis, sed legibus judicandũ esse. Quò fit ut si maximè id quod vult Smiglecius, continerent, (quod tamen contrà esse jam ostendimus) nequaquam tamen id omnes omnium ætatum ministros eadem ceremonia obstringeret: cùm, ut supra docuimus, ne Apostolorũ quidem ætate, omnes, qui Christi Evangelium prædicarunt, ritu aliquo publico ad muneris istius functionem cõsecrati fuerint. Mirum igitur Smiglecium asserere non fuisse veritum, canonem Apostolicum extare, ut ab uno episcopo presbyteri ordinentur: *cùm nec canonem eum proferat, nec proferre unquam possit.* Ex *his omnibus colligitur, ea quæ de universali Ecclesiæ consuetudine dicit Smiglecius, vana falsaq; esse, nihilq; adeò ad nos convincendos virium habere, quippe qui non consuetudine, sed Sciptura testimoniis coargui debeamus. Quia autem impositionis manuum jam aliquoties facta est mentio, nimirum ut ostenderetur, illum, qui ea caret, legitimum ministrum esse non posse, propterea quod hoc pacto olim ministri creati fuerint, ut Timothei exemplo edocemur. Idcirco paucis de ea agendum*

gendum nobis est. Intelligēdum antem est manuum impositionem in primæva illa ecclesia ejusmodi fuisse, ut quibus contingebat, ii plerumq; donis spiritualibus ornarentur, in huncq; eundem finem ab Apostolis, aliisq; quibus ea autoritas concessa erat, usurpatam fuisse constat. Vt enim alia omnia miracula Christi nomine virtuteq; ab Apostolis horumq; sociis edita, ad veritatem salutarem in ecclesiæ primordiis, confirmandam spectabant: ita & de hac, quam diximus, manuum impositione, judicandum est. Verum ut hodie nemo est, qui edendi miracula potestatem sibi attribuere jure possit: ita & ejusmodi manuum impositionem cessasse fatendum est: nisi fortè aliam ob causam, nequaquam autem necessariò in ecclesia retineatur. Ex quo efficitur, nostros ministros ea non obligari, cùm de ministerii essentia minimè sit. Quæ præterea Smiglecius cum Morneo quodam disputat, ea, quia ad nos nihil spectant, sciens volensq; prætereo, statimq; ad tertiam ipsius demonstrationem aggredior, quæ hujusmodi est:

Quicunque potestate remittendi & retinendi peccata carent, non sunt legitimi Evangelii ministri.

Ministri Evāgelici carent hujusmodi potestate.

Non sunt igitur legitimi Evangelii ministri.

Vt hujus syllogismi falsitas evidētissimè appareat, videndum est, priusquam ad ejus refutationem accedamus, quæ sit potestas ista, peccata tum remittendi tum

tum retinendi. Intelligendum igitur est, eam nihil alud esse, quàm primam perfectam, exploratissimámq; tum scientiam tum pronunciationem aut declarationem, quibus hominibus peccata condonanda quibusq; retinenda sint: vel quibus vita æterna, quibusq; sempiterna pernicies destinata sit, ut à nobis alio in loco demonstratum est. Qui verò diversum sentiunt, urgent verbum remittendi & retinendi, ut non de pronunciatione, sed de ipso remissionis ac retentionis effectu hìc verba fieri ostendant. Atqui consequentia ista malè constituta est, cùm divinis autoribus usitatissimum sit, verbis, quæ, propriè loquendo, rei efficientiam significant, ejusdem declarationem per dicendi figuram denotare. Quo pacto & veteris fœderis sacerdotes peccata expiasse, id est, eorum expiationem declarasse dicuntur. Necesse autem omnino esse, ut verba remittendi & retinendi, hanc quam diximus, significationem habeant, inde perspicuum est, quod si de ipsa rei istius efficientia, ea accipere vellemus, omnino statuendum foret, eos qui remittendi retinendiq; potestate fuerunt præditi, ea utendo, reipsa effecisse, ut quis necessariò ea haberet, per quæ vel peccatorum condonationem homines consequuntur, vel eadem excluduntur. Neutrius autem potestatem hominibus illis concessam fuisse, compertissimum est: cùm illud ne Deus quidem sibi assumpserit, sed liberam homini voluntatem concesserit, vel faciendi vel relinquendi ea, quæ sempiternæ salutis causam afferunt: hoc verò in nullum hominem, qui hac potestate cohonestatus fu-

erit, cadere potuisse, nimirum efficere, ut quū necessariò ea faceret, quæ ipsum in æternam perniciem detruderent, inde patet, quod nec ipse Deus & Christus, quorum personam talis sustinuerit, necesse est, hoc nequaquam faciant. Intelligendum autem est, remißionem peccatorum ex Dei decreto per Christum promulgato nonnisi illis dari atq; concedi, qui in Christum credunt. Retentionem verò, id est, æternam damnationem illis constitutam esse qui cōtrà faciunt. Vnde colligitur declarandi pronunciandivé potestatem nequaquam simplicem absolutamvé fuisse, sed conditionalem, ut nimirum qui istam potestatem habuerunt, terrarum orbi certo sineqúe dubio denunciarent, omnes in Christum credentes salvatum, omnes verò non credentes damnatum iri. Tenuerunt quippe homines illi, ut diximus, exploratissimam eorum, quibus fides in Christum gignitur continetur q; scientiam. Quod ideo hoc loco repetimus, ut intelligatur, eos qui aliquam quidem earum rerum habent notitiam, non tamen primam oculisq; perceptam de qua loquimur: remittendi retinendiq; potestatem, quæ alibi claviū regni cælorū nomine appellatur sibi arrogare non posse. Quid enim? an nō ii qui & tempore & patefactionis claritate reliquis anteiverunt, certius perfectiusq; novisse existimandi sunt ea, in quibus fides Christo adhibita innititur, quàm omnes alii: veluti sunt Christi præcepta, plenißimaq; eorum intelligentia, & ejusdem perpeßiones, & resurrectio, & deniq; gloria in quam evectus est, aliaq; multa, quæ omnium exploratißi-

mè & perceperunt & pronunciare potuerunt illi qui primi Christo adhæserunt, in omniq; fortuna comites fuêre. Quos quidem Apostolos fuisse nemo negabit. His enim Deus per Christum ea ornamenta voluit adjungere, quæ & singularia, & illorum officii propria essent. Qua de causa & soli Apostoli fundamentum Ecclesiæ dicuntur, nec ullos iis in rebus successores habent. Quæ omnia, cùm ita ut dixi, sese habeant, consequens est, majorem Smigleciani syllogismi propositionem falsissimam esse, nimirum neminem nisi qui remittendi & retinendi peccata potestatem habet legitimam Evangelii ministrum esse: cùm etiam illi qui ad docendum apti sunt, vitamq; cum pietate traducũt, legitimi ministri esse possint, quamvis sibi autoritatem illam Apostolicam minimè vendicent, quippe quæ Apostolorum nascentisq; Ecclesiæ propria fuerit, & ideo omnem successionem excludat. Satis autem est ad hodiernos ministros ordinandos eos ad docendum appositos esse, Apostolorum disciplinam firmiter tenere, apud populum eam dextrè proponere vitamq; inculpatam vivere. Hæc enim sola ministerii essentiam constituere jam ad nauseam usq; à nobis demonstratum est. Cùm autem Smiglecius unà cum suo Papa aliisq; id genus hominibus, ex illis primis Dei legatis nequaquam sit, fatendum est, eum potestatem istam sibi falsò usurpare: nisi per summam impudentiam turpissimamq; superbiam ea sibi arrogare velit, quæ minimè habet. Instat tamen Smiglecius, &, Si ita res haberet, *inquit,* nullo opus esset ministro: cùm sic quilibet

libet ea quę Apostoli de remissione ac retentione peccatorum tradiderunt, sine ministro vel ipse legere in scripturis posset: vel ab aliis qui non sunt ministri discere: vel sibiipsi in mentem revocare. *Respondemus autem non satis esse ad ministerium tollēdum ostendere, quemlibet Apostolorum doctrinam vel ipsum legere, sibiq́; in memoriam revocare, vel ab aliis discere posse: sed necesse insuper est demonstrare omnes homines, tam esse in percipiendo solertes, ut nullo indigeant doctore, ad rei istius, qua de agitur, rationem, planè intelligendam, & tam in faciendo officio diligentes, ut nullo opus sit monitore, & tam contra carnis mundi diaboliq́; impetus armatos, ut nullo egeant gubernatore vel duce: & deniq́; tam vigilantes atq́; circumspectos, ut ad eos suscitandos, inq́; officio continendos nullus requiratur custos. Quanquam igitur, ut suprà diximus, hoc etiam quilibet ad hanc rem aptus, non expectata solenni quadam cerimonia exequi, & potest, & flagitante necessitate charitateq́; Christiana permovente, omninò debet: tamen & decus & ordo & interdum etiam necessitas postulasse videtur, ut in Ecclesia constituta, certi homines omnium consensu eligantur, qui reliquis praeeant, & Christi Apostolorumq́; doctrinam sedulò inculcent, eosq́; officii assiduò admoneant. Vtrumqúe autem etiam Apostolorum tempore factitatum fuisse, suprà à nobis demonstratum est, passimq́; in hoc libello nostro repetitur. Hæc omnia quæ isto in loco diximus, si Smiglecius unà cum suis, justis ponderi-*

bus

bus examinabit, & manifestæ veritati contumaciter repugnare noluerit, facilè animadvertet, omnia quæ postmodum de pueris fœminis infidelibus, dæmone & psittacis subjungit, nihil ad rem facere. Pri*mò enim, ut suprà docuimus, plurimum interest, inter primorum illorum Christi legatorum, & reliquorum prædicationem: cùm illa prima anteq; inaudita, exq; prima ac perfectißima rei istius scientia orta fuerit: quæ non solum in psittacos dæmones infideles & quaslibet fœminas, sed etiam in hodiernos ministros cadere nequaquam potest. Quam ob causam Smiglecio libenter assentimur non solum psittacos, verum etiam ministros: nec solum hos, sed ipsos etiam Apostolos propriè loquendo, sive ut ego interpretor, actu ipso, peccata nō remittere, ut suprà demonstravimus. Peccata tamen dicebantur remittere Apostoli* καθ' ἐξοχὴν *certa conditione ac lege remissa esse declarando. Ministri verò nostri minimè: non quod idem eadem conditione non declarent: sed quod eorum declaratio non illa prima perfectaq;, sed ejusdem repetitio & quasi quædam imitatio est. Quo fit ut Smiglecius frustra ad Apostolos eorumque munus respectu habito, inter potestatem prædicandi & remittendi peccata distinguit.* Nec *illud quicquam ad hanc distinctionem instituendam momenti affert, quod Christus ante ascensum suum, discipulis afflatis, dixit:* Accipite Spiritum sanctum, *post ascensum verò minimè. Vtrobiq; enim de exploratissima prædicandi ratione verba fiunt: nisi quod ante ascensum cerimonia quadam id adum-*

bravit, quod post ascensum reipsa daturus erat. Fatendum quippe est Apostolos tunc, quamvis Christus diceret, Accipite Spiritum S. *reipsa tamen eum non accepisse, & porrò nec potestatem remittendi, quam Smiglecius Spiritus sancti opus esse asserit, propterea quòd Christus nondum ad Patrem abierat, & sic nec glorificatus adhuc erat, ideoq; nec Spiritus effusus, ut ex Christi Apostoliq; Iohannis verbis clarißime patet. Quid quod res ipsa indicat ita eße, ut unà cum Iohanne Christoq; asserimus. Nam & vires suas Spiritus ille sanctus ante Christi ascensum minimè exerebat: & in festo pentecostes demum illum in Apostolos effusum fuisse luculentißimè docemur: ut facile appareat, cerimoniam afflatus illius, verbaq; de Spiritus sancti acceptione à Christo facta, non nisi præludium ejus rei, quæ mox ventura erat, fuisse, hocq; omninò Dominum dicere voluisse, quod & Lucæ 24. dixerat:* Sic, *inquit,* scriptum est, & sic oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum, *&c.* Et ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto. *Hîc nemo, arbitror, est, quin stantibus nostris rationibus fateatur, verba illa,* accipite spiritum S., *ex Luca, ita interpretanda esse, quasi dicatur,* Induemini virtute ex alto, *me promissum Patris mei mittente. Et illa:* Quorumcunq; remiseritis, *&c. his declaranda esse,* Oportebat prædicari

In nomine ejus pœnitentiam&remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Hierusalem, *&c.* vos autem testes estis horũ. *Et hoc quidem plane ita esse insuper ex iisdem utriusq; loci circumstantiis colligitur, nimirum quod utrobiq; prius quàm Apostolis Spiritum sanctum promitteret, illisq; remissionis prædicationem injungeret, sese revera à mortuis resurrexisse ostendit, ut facilè appareat eandem utrobiq; rem aliis atq; aliis verbis efferri. Fatetur hoc ipse Smiglecius quodammodo, dùm hæc eadem similiaq; tum Christi tum Apostolorum verba adducit, in quibus nimirum de remissione peccatorum, ejusdemq; ut ipse loquitur mediis, & de verbo reconciliationis agitur. Quibus rebus illud idem plane continetur, quod suprà de conditionali remissionis peccatorum pronũciatione diximus. Nisi quod in hoc vehementer fallitur, quod tunc Christum, cùm Apostolos ad prædicandum mitteret, Spiritum sanctum dedisse negat: sed tunc eum hoc fecesse affirmat, cùm illis peccata remittendi potestatem concederet. Quod contrà esse partim ex jam dictis constat, partim ex iis quæ mox dicemus constabit. Quid enim an non maximè tunc Spiritum sanctum Christus in Apostolos effudit, cùm ipsius afflatu & variis linguis loqui inciperent, & cũctis per Iesum Christum à Iudæis nefariè proditum, ignominiosaq; morte affectum, dextra autem Dei à mortuis excitatum, peccatorum remissionem annunciarent? Iam quod ad illa Christi verba attinet:* Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos,

conclusionemq́ de eadem peccata remittendi potestate, quam Smiglecius judiciariam nominat, ex illis extructam, dicimus Smiglecium longe falli, qui Apostolos per omnia Christo, contra omne rectæ rationis judicium scripturæq́ mentem adæquare conatur. Iam enim firmissimis rationibus ex divinis literis depromptis ostēsum est, peccatorum remissionem Apostolis concessam nequaquam propriam effectivamvé esse. Quod si vocabulum Sicut *urget, intelligendum illud sæpe nec eandem quantitatem duarum aut plurium sive personarum sive rerum comparatarum, nec omnimodam qualitatem designare: satisq́ esse res vel personas inter se comparatas, una aliqua re similes esse, nisi similitudinem volumus esse identitatem. Satis autem rectè Christus Apostolos suos misisse, ut ipse à Patre missus erat, dici potest: si quemadmodum ipse ad Patris voluntatem hominib: annunciandam legatus erat, ita Apostolos ad idem faciendum legavit. Hoc enim genus peccata remittendi utrisq́ commune est. Fuit autem & alia peccata remittendi ratio, eaq́ Christi, post Deum, propria, quæ ante Christi mortem in tēporari peccatorum pœnis, morbis nimirum auferendis, elucebat. Qua de causa & illum paralyticum sanavit, ut omnibus clarissimè pateret, eum habere potestatem remittendi peccata in terris. Cujus quidem potestatis, utpote singularis, & in neminem alium præter Deum Christumq́ propriè convenientis, nulla in loco ex Iohanne adducto mentio fit, nullaq́ prorsus ratio habetur. Quod enim & Apostoli morbos sanaverunt,*

verunt, id nimirum non ipsis, sed Christo, cujus virtute hoc fecerint, adscribendum est, ut & ipsos Apostolos fecisse scriptum legimus, Act. 3. 12, 13, 16. & cap. 9. 34. Adde quod non perinde ut in Christo, potestas ista perpetuò in illis manebat: sed quoties ea opus erat ab illo impetrabatur. Verùm quid istas rationes subducimus, cùm hæc specialis peccatorum remißio, si vel maximè æquali pariq; jure Apostolis cum Christo conveniret (quod quidem minimè concedimus) tamen res ipsa indicat, eam tantum in ecclesiæ primordiis viguisse, & sic ecclesiæ nascentis Apostolorumq; propriam fuiße. Miracula enim postea cessasse ipsi etiam Iesuitæ fatentur, & sic ne seipsos quidem cum sociis suis hac condonandi peccata potestate præditos eße confiteantur, neceße est. Nihilominus tamen Smiglecius ab inanissimis nugis sibi temperare non potest. Dicit enim contra omnem & rationem & veritatem, Christum remissionem peccatorum in cælo & apud Deum voluisse dependere à remisṡione peccatorum in terra. *O cæcitatem, ô stulticiam, ne dicam dirissimam blasphemiam. Itáne Deus apud vos in servitute atq; in ergastulo est, ut non nisi à vobis suspensas actionum suarum rationes habeat? sed reprimo me & vos dominandi cupiditate inductos, ut facile Antichristi spiritum agnoscas, ex his Christi verbis, erroris vestri stabiliendi occassionem arripuisse facile patior: nihilominus tamen ut vos egregie falli evidentissimè ostendam, repetenda ea sunt, quæ suprà de immutabili Dei Christiq; decreto diximus: Cu-*

jus summa in hoc cōsistit, quod nimirū, qui in Christum credunt, ii sempiternam felicitatem adepturi: qui verò non credunt, damnandi sint. Cùm igitur neq; Apostolos, neq; veram Christi ecclesiam, dum quidem existeret, ab hoc divino decreto unquam discessuram Christo exploratissimè constaret: idcirco sine ulla dubitatione hæc verba fecit, fore nimirum ut in cælis ratum firmumq; esset, quod ipsius fideles in terris decernerent ac pronunciarent. Vnde perspicuum est, quicquid hac in re agunt fideles, id totum ex Dei præcedente decreto ac voluntate pendere. His omnibus attentissimè consideratis, facilè patebit omnia, quæ hoc in loco scribit Smiglecius, partim consistere non posse, partim ad nostram sententiam infirmandum, nedum prorsus infringendam nihil ponderis habere. Venio igitur ad quartam ipsius quam vocat domonstrationem quæ hujusmodi est:

Ministri legitimi sunt sacerdotes offerentes Deo sacrificium.

Ministri Evangelici non offerunt Deo sacrificium novi Testamenti.

Ergo non sunt ministri legitimi novi Testamenti.

Hic antequam ad syllogismi istius reprehensionem accedam, duo observanda sint: primò ipsum quæstionis statum indicare, hîc de publico ministerio verba fieri, quod nimirum illi sustinent qui auditoribus præeunt. Deinde hîc non de eo sacrificii genere, ex Smiglecii opinione agi, quod spirituale omni-

omniumq́; Christianorum commune est, sed de publica quadam cerimonia, qua Christus ipse à ministris offeratur, ut ex toto hoc Smiglecii tractatu constat. Iam igitur ut ad ipsum syllogismum aggrediar, dico majorem falsissimam esse: cùm nec ministros novi Testamenti, publici officii rationis, sacerdotes nominari, nec illorum partes esse Christum ipsum sacrificare, ullo divino testimonio comprobari posit: contrà vero solum Christum semetipsum Deo pro nobis offerre luculentissime ab autore Epistolæ ad Hebræos doceamur. Verba verò Apostolo Andreæ à Smiglecio aliisq́; affícta non agnoscimus: nec tàm hebetes sumus, ut veracem Dei Spiritum quo omnes Apostolos præditi fuère, sibi ipse tam turpiter contradixisse credamus. Agat igitur nobiscum Smiglecius, ea scriptura quæ canonica ab omnibusq́; in universum recepta est, eaq́; suam assertionem confirmet & vincet. Quod verò ad majorem propositionem stabiliendam dicit, sacrificium esse primum ” præcipuumq́; actum, Deumq́; sacrificii privatione ” summo honore spoliari, nullamq́; gentem tam barbaram ” fuisse, quin numen illud quod pro Deo habuit, ” sacrificio coleret, eamq́; ob causam Deum in veteri ” lege vario sacrificiorum genere coli voluisse: & porrò ” multò magis hoc in nova lege, idq́; excellentiori ” sacrificio fieri debere, &c. Hæc omnia, inquam, nihil ” ad rem faciunt, cùm non solum hoc à nobis non negetur, sed etiam excellentiora hodie, quam olim Deo sacrificia libari planè contendamus. Interim tamen nequaquam consequens esse dicimus, Christum

ſtum à miniſtro offerri vel ſacrificari debere. Chriſtus quippe hoc per ſemetipſum, ut modo docuimus, efficit, Deusq́ præter ipſius Chriſti ſacrificium etiam aliis, multo illis legalibus, nedum ethnicorum, præſtantioribus ſacrificiis colitur.

Atqui, inquit Smiglecius, Vnicum eſt legis novæ ſacrificium, nempe ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, quo & Deo ſummus honor exhibetur, & nobis maxima beneficia impetrantur. Quod etſi ſemel oblatum eſt, divina tamen ſapientia & bonitas invenit modum, quo ſemper religionis cauſa in altari offerri poſſet, & nunquam conſumi. *Hæc Smiglecius. Reſpondemus autem, & primò Smiglecium in verbis*, unicum Chriſti ſacrificium, *ignorationis elenchi fallaciam committere dicimus, cùm unica Chriſti oblatio apud divinum autorem nonniſi pluribus legalibus anniverſariis oblationibus opponatur: nequaquam autem ſpirituales Chriſtianorum oblationes excludat. Deinde & compoſitionis diviſionisq́ fallaciam facit, dum determinationem Chriſti ſacrificii, nimirum vocabulum* unicum, *ad differentiam anniverſariorum legis ſacrificiorum, adhibitum, perperam ad verba novi Teſtamenti adjungit, ut concludat non plures eſſe novi Teſtamenti oblationes. Vt enim facilè conceſſerimus iſtam unicam Chriſti oblationem eſſe oblationem novi Teſtamenti: ita unicam & non plures novi Teſtamenti oblationes eſſe pernegamus.* Nam *& ſpirituales hoſtias à Chriſtianis Deo offerri, offerendasq́*

dasq; esse, nemo nisi rerum divinarum prorsus ignarus, diffitebitur. Quo fit ut & manifestissimam consequentis fallaciam admittat. Non enim *consequens est, quia unicum Christi sacrificium, novi Testamenti oblatio est, ideo omnem novi Testamenti oblationem, unicum Christi sacrificium esse, vel nullam oblationem, quæ Christi sacrificium non est, novi Testamenti oblationem esse. Falsissimum autem est illam unicam Christi oblationem, esse aliquod corporis sanguinisq; sacrificium, ut Smiglecius citra ullam scripturæ autoritatem asserit. Falsissimum itidem est sacrificium istud in cruce oblatum esse, cùm demum in cœlesti tabernaculo, ut testis est divinus ille autor, peragatur, morsq; crucis quam Christus oppetierat, non ipsum sacrificium, sed mactatio, ideoq; vix quoddam initium ejusdem fuerit, ut à nobis alibi docetur. Falsissimum deniq; est, divinam sapientiam ejusmodi invenire modum, ut corpus sanguisq; Christi in altari offerri posset: cùm ut jam demonstravimus, non solum hoc divinis literis comprobari minimè posit: sed iisdem etiam adversetur.*

Sed videamus quibus divinis testimoniis Smiglecius sententiam suam tueri conetur. Primo igitur illam Malachiæ vaticinationem producens, dicit, Deum ministros suos ea potestate ordinasse, ut ab ortu solis, usq; ad occasum, in omni loco sacrificent, & offerant nomini ejus oblationem mundam. *Hîc animadvertendum est, eum de suo addere,* Deum *his verbis* ministros ad sacrificandum ordinasse: *cùm Prophe-*

Propheta non ministros commemoret, sed simpliciter asserat. Deo in omni loco sacrificari & offerri nomini ejus oblationem mundam. *Deinde intelligendum est, hîc non de Christo offerendo sermonem esse. Hunc enim in cælo tantum offerri, idq́; à seipso, testis est autor ille divinus, qui luculentissimè docet, Christum si in terra sit, ne sacerdotem quidem esse posse, tantum abest, ut in terra offerri poßit. Quomodo igitur quæso Christi sacrificium in omni loco fieri potest? Quidquod manifestissimum est, Christum nunc in cælis existentem carnem & sanguinem non habere: sed indutum esse corpore glorioso, cælesti, ac immortali. Caro quippe & sanguis, ut testis est Paulus, regnum Dei hæreditare non possunt. Quod cùm ita sit, quomodo Christi caro in omni loco offerri potest, cùm ne in uno quidem loco hoc fieri queat. Non enim entium nullæ sunt paßiones aut aliæ qualitates.*

Nihilominus tamen Smiglecius, ut causam suam stabiliat, dicit, nullam aliam in Malachiæ verbis cogitandam esse oblationem, præter oblationem corporis & sanguinis Christi: *quasi verò jam probasset corpus & sanguinem Christi offerri posse, nedum debere: quod contra esse jam demonstravimus. Sed addit:* Tum quia nulla alia est oblatio novi Testamenti: tum quia nulla alia oblatio munda est: *quorum illud falsum esse satis jam constare arbitror, cùm caro & sanguis Christi ne oblatio quidem esse poßit, nedum novi Testamenti. Posterius quoq́; à vero alienißimum esse*

inde

inde conſtat, quod & ſpirituales novi fœderis hoſtiæ, Dei beneficio mundæ ſunt: veluti eſt ſtudium precum, gratiarum actiones, beneficentia in pauperes, vita mores'q; ex Chriſti lege compoſiti, univerſus deniq; Dei cultus novo fœdere comprehenſus. Hæc ſacrificia autor Epiſtolæ ad Hebræos, nec non Paulus mirum in modum commendat, Deoq; grata & ſic etiam munda eſſe teſtificatur. Nihil igitur eſt, quod in voce munda cavilletur, cùm licet ſpiritualia hæc Chriſtianorum ſacrificia per ſe non uſq; quaq; munda ſint: ſingulariſſima tamen Dei gratia pro mundis reputentur. Nihil quippe divinæ juſtitiæ magis conſentaneum eſt, quam actiones noſtras pro virili noſtra parte, ad Chriſti normam directas, in mundis perfectiſque habere. Hæc enim eſt illa juſtificatio, quam Deus nobis pro ſua miſericordia imputare cōſtituit, ſi in illum credentes, quantum in nobis eſt, cum pietate vixerimus. Inſtat autem Smiglecius & dicit, Prophetam non agere de ſacrificio interno & ſpirituali, cùm ſpirituale ſacrificium æquè Iudæi tum offerrent Deo, ſicut & gentes erant oblaturæ. Tale autem ſacrificium prædicit futurum in omni loco, quale tunc non erat apud Iudęos. Expreſſe enim loquitur de ſacrificiis externis quæ tunc Iudæi offerebant, in eumque locum ait ſubſtitutum iri ſacrificium gentium. *Hæc Smigleci⁹. Errat autem hoc in loco dupliciter. Primò enim cùm dicit, Iudæos quoq; hoſtias ſpirituales obtuliſſe, partim id minus verum eſt, partim inde malè colligitur,*

ligitur, Malachiam de spiritualibus gentium hostiis, quas Deo oblaturæ erant, nunc autem offerunt, minimè loqui. Ac illud quidem ideò, quod nec publica precum, adorationis, gratiarumq; actionum religio in omni loco tunc colebatur, etiam ad solam terram Iudaicam respectu habito: sed tantum Hierosolimis, ut & res ipsa & illud Christi cum muliere Samaritana colloquium testificatur. Multò minus in toto terrarum orbe apudq; omnes gentes, tam publicas quàm privatas Iudæorum preces, adorationes & gratiarum actiones factas fuiße statuendum est. Id quod & ipse Smiglecius haud obscurè fatetur, cùm inquit, Tale sacrificium quod in omni loco fieret, tunc apud Iudęos non fuisse. *Quid quod totus Iudæorum cultus, sive publicus sive privatus, ad spirituales Christianorum hostias non nisi umbræ instar obtinet? Quod quidem omnes qui Christianæ religionis præstantiam cognitam habent, fassuros credo. Quo fit, ut id quod altero loco notavimus, nimirum Smiglecium ex Iudæorum interno privatové cultu perperam concludere Malachiam non de spiritualibus Christianorum sacrificiis verba facere, uberiore demonstratione non indigeat, cùm hæc ipsa inter utrumq; cultum distantia, satis ostendat alterum ex altero colligi minimè posse.*

Alter Smiglecii lapsus est, quod videtur ex sacrificiis Iudæorum externis concludere, etiam sacrificium novi Testamenti externum esse, & sic de spiritualibus Christianorum oblationibus nullam hîc fieri mentionem. Quæ quidem consecutio ideo minimè consi-

me consistere potest, quod nihil vetat quò minus in externarum oblationum, utpote umbrarum, locum internæ successerint. Vmbras enim corpori loco concedere debere atq; adeo Christo adveniente suamq; religionem promulgante, jam cessasse ex divinis literis planißimum est. Quod quidem quò rectius intelligatur, animadvertendum est, nos non perinde affirmare spirituales Christianorum oblationes, in legalium sacrificiorum locum succeßisse, quasi Christi sacrificium ab eadem succeßione excludamus. Quinimò Smiglecio planè aßentimur, autorem Epistolæ ad Hebræos, ut ostenderet legalia sacrificia jam cessasse, in illorumq; locum Christi sacrificium successisse, eundem Christum loquentem induxisse: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi. *Intelligendum enim est, Sacerdotum legalium duplicem ordinem fuisse. Alii enim erant summi sacerdotes sive Pontifices, alii verò erant sacerdotes inferiores. Summi pontifices suis anniversariis sacrificiis Christum Dominum adumbrabant. Vt enim illi semel quotannis tabernaculum ingrediebantur, anniversariumq; illud sacrificium exequebantur, ita Christus semel in cæleste tabernaculum ingreßus, perpetuam salutis nostræ procurationem habet. Minores verò sacerdotes quotidie sacrificantes, eorumq; victimæ omnium Christianorum, horumq; oblationum, quæ ubiq; locorum Deo libant, imaginem gerebant, quantumvis illæ externæ essent. Atq; huc spectare omnia scripturæ testimonia, quæ Smiglecius ex autore Epistolæ ad*

Hebræos adducit libentißimè fatemur, quorum quidem hæc summa est, quòd Christus & seipsum Deo immaculatum offerat, & hac sui ipsius immolatione nostras conscientias à mortiferis operibus repurget, & talis noster Pontifex sit, qui consedit in dextra magnitudinis in cælis, & habeat quod offerat, nimirum ut idem autor asserit, corpus suum, quod rei istius gratia, Deus ipsi adaptavit. Verùm quid hoc omne Smiglecianæ causæ præsidii afferat dispicere non possum, cùm hoc ipsum, si benè animadvertere velit, potius illius opinionis, ex omnium cordatorum hominum animis prorsus evellendæ maximam vim habeat. Non enim id Smiglecius contra nos urgere debet, quod ultro fatemur, indeq́ incredibilem læticiam percipimus; nimirum Christum semetipsum pro nobis in cælesti tabernaculo Deo offerre, id est, assiduò de sempiterna felicitate nostra laborare. Sed hoc Smiglecio erat probandum, Christi carnem & sanguinem à sacrificulis, in terrenis templis offerri posse & debere. Quod cum non faciat Smiglecius, quæ sane impudentia cæcitasq́ est, id sibi tribuere quod ipsi cum aliis ejusdem farinæ hominibus concessum non est, quodqúe ut suprà docuimus nulla ratione fieri potest. Quod si tamen sibi hoc concessum esse putat, quid est causæ quin apertissimis sacrarum literarum testimoniis demonstret, non satis esse Christum semetipsum in cælis pro nobis offerre: sed insuper opus esse, ut in terris à miseris istis hominibus offeratur.

Pergit autem Smiglecius, & ex eo quod Christus

stus dicitur sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci; colligit illum in toto terrarum orbe ab hominibus sacrificandum esse. Vt autem eum toto cælo errare omnes intelligant, totam ipsius ratiocinationem diligentissimè examinabimus. Primò igitur hunc in modum loquitur: Cùm Christus sit sacerdos secundùm ordinem Melchizedech, sacrificare debuit secundùm ordinem Melchizedech. *Quod quidem insulsissime dicitur, cùm ut quispiam secundùm ordinem Melchizedeci sacerdos meritò nominetur, minimè necesse sit, ut secundùm ritum Melchizedeci sacrificet. Longè enim alia causa à divino Spiritu affertur, cur Christus secundùm ordinem Melchizedeci sacerdos appelletur: quæ quidem non ad ipsum sacrificandi actum seu modum respicit, sed præcipuè ad sacerdotalis muneris originem terminumq; refertur. Quo fit ut autor ille divinus, Christum cum Melchizedeco comparans, per ordinem istum, nihil sese aliud intelligere, quam similitudinem, hancq; in eo consistere luculentissimè doceat, quod quemadmodum Melchizedech sacerdotii sui ratione, sine patre sine matre, sineq; genealogia fuit, nec finem vitæ habuit. Ita & Christus nec ulli in sacerdotis munere successerit, nec ullum successorem habiturus, sed in perpetuum sacerdotis muneri præfuturus sit. Atq; huc omnia ferè quæ de Christo & Melchizedeco, quædam etiam quæ de Aaronico sacerdotio autor ille divinus disputat, spectare, quilibet totum illud caput attentè legens, facilè intelliget.*

Pergit autem Smigl. & dicit: Atqui in cruce sacrificavit quidem Christus seipsum, nō tamē ritu & forma Melchizedechiana. Nunquam enim cruente sacrificavit Melchizedech, sed tantùm panem & vinum obtulit, cùm esset sacerdos altissimi. *Hîc tria à Smiglecio dicuntur, quæ aut prorsus falsa, aut certè controversa sunt. Christum enim in cruce sese sacrificasse, falsò ab ipso aliisq; asseri, tum ex iis quæ suprà diximus, tum ex multis hominum nostrorum scriptis constat. Alterum, nimirum Melchizedecum, nunquam cruentè sacrificasse, nullo sacro testimonio comprobari potest. Tertium, nempe Melchizedecum, tantùm panem & vinum obtulisse, adeo à vero alienum est, ut ne panem quidem vinumq; eum sacrificasse, ulla ratione demonstrari possit. Quinimo vini panisq; oblationem ad ipsius sacerdotium minime spectasse, inde constat, quod autor ad Hebræos, cujus consilium erat ordinem Melchizedeci quàm diligentißimè explicare, nullam panis viniq; per eum oblati mentionem facit. Nequaquam enim credibile est tantum tamq; fidelem cælestium mysteriorum interpretem, tantam rem, utpote qua tota oblationis Melchizedechianæ contineretur essentia, silentio involuturum fuisse. Quod autem Smiglecius hanc suam assertionem Mosis testimonio probare nititur, id certè parum candidè ab illo fieri inde perspicitur, quod nec integrè illud adducit (vidit nimirum non* obtulisse, *sed* protulisse *Melchizedecum panem & vinum ibidem scriptum legi) nec citra*

tra insignem compositionis divisionisq; fallaciam verba, quæ citat, cùm esset sacerdos Dei altissimi, *à propria sua sede avellit, & ad panis viniq; prolationem applicat: cùm potius ad benedictionem, quam Melchizedecus Abrahamo tribuit, spectare, tum ipse contextus indicat, tum Hebraicæ linguæ peritissimi homines testificantur. Mosis quippe testimonium, sententiam parenthesi inclusam, ideoq; à reliquis verbis distinguendam continet. Sic enim legitur:* At verò Melchizedech rex Salem proferens panem & vinum, (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait, &c. *Quorum verborum, retenta nimirum parenthesi, hæc sententia est: Melchizedecus, qui panem & vinum protulerat, Abrahamo benè precatus est, propterea quod esset sacerdos Dei altißimi. Qui quidem sensus in magnis Bibliis Roberti Stephani his verbis expressus est:* Porro Melchizedech rex Salem protulit panem & vinum, & ipse cùm esset sacerdos Dei altissimi, benedixit ei. *Quid quod autor Epistolæ ad Hebræos Melchizedeci sacerdotium explicans, nonnisi benedictionis illius mentionem facit, & porrò hoc ipso sententiam nostram verissimam esse haud obscurè convincit.*

His ita constitutis totam Smiglecii ratiocinationem corruere necesse est, & quæ postmodum subjungit, nihil ad rem facere quilibet intelligit. Ait autem: Necesse igitur est, ut concedatur sacrificium Melchizedechianum, quod sit proprium novæ legis sacrificium. Aliàs duo ab-

ſurda ſequuntur: alterum quòd Chriſtus ſecundùm ordinem Melchizedech, nunquam ſacrificaverit ritu & ordine Melchizedechiano: alterum quòd lex nova eſt ſine ſacrificio. *Hæc inquam Smiglecii verba nihil ad rem propoſitam pertinent. Primò enim, ſi Melchizedechianum ſacrificium illud intelligit de quo autor ad Hebræos loquitur, quodq; Chriſto nunc in cælis exiſtenti tribuit, non ſolum concedimus, ſed etiam urgemus, illud nunc à Chriſto in cælis adminiſtrari, & perpetuò adminiſtrandum eſſe. Hinc tamen neutrum iſtorum abſurdorum conſequi omnes ſani intelligũt. Primum ideo, quia ſatis Chriſtus ſecũdùm Melchizedeci ordinem ſacrificii munere fũgitur, ſi, ut teſtis eſt diviniſsim⁹ ille autor, perinde ut Melchizedech, nullum in eo nec anteceſſorem, nec ſucceſſorem habet. Hoc enim præcipuè eundem autorem ſpectaſſe ex toto illo loco manifeſtum eſt. Alterum ea de cauſa, quod cùm Chriſtus eo, quo diximus modo, in cælis ſeſe pro nobis offerat, nequaquam lex nova ſacrificio caret, imò omnium præſtantiſſima ſacrificandi ratione ornata eſt.*

At inquit Smiglecius: Non ſatis eſt quòd Chriſtus ſacrificavit: ſed neceſſe eſt, ut etiam homines ſacrificent, ne Deus perpetuo honore, qui illi per ſacrificium exhibetur, & homines perpetua religione priventur. *Hìc primò animadvertendum eſt, Smiglecium ideo Chriſtum ſacrificaſſe dicere, quod putat Chriſtum ſacrificium ſuum jam in cruce peregiſſe, quod falſum eſſe*

suprà ostendimus. Deinde quod necesse esse asserit, ut etiam homines sacrificent, aut ita accipiendum est, ut intelligamus, non satis esse Christum seipsum suumvé corpus Deo pro nobis offerre: sed insuper requiri, ut & homines eundem Christum, ipsiusvé corpus offerant: Aut vult Smiglecius, ut ab hominibus Christianis, præter Christi sacrificium quod ipsemet perficit, etiam Spirituales hostiæ offerantur. Si hoc posterius Smiglecius asserit, planè ei assentimur. Si verò priùs illud, jam satis constat, nihil à veritate alienius esse: cùm non solum nullo nitatur divino testimonio, sed etiam sacris literis, ut ostendimus, adversa fronte repugnet. Rationes autem quas hoc loco affert Smiglecius, nullius sunt momenti, cùm Christo in cælis sacrificium suum ritè peragente, Christianisq; in spiritualium hostiarnm studio perpetuò versantibus, nec Deo debitus honor detrahatur, imò maximè amplificetur: nec homines perpetua religione priventur: sed maximè eam colant. Frustrà autem Deus colitur mandatis hominum, cujus generis & istud confictum sacrificium, quod Smiglecius unà cum suis nobis obtrudere conatur, esse, jam satis constare arbitramur.

Atqui inquit, Translato sacrificio necesse est ut & legis translatio fiat. Non enim translatum, sed penitus abolitum esset sacrificium in legis translatione. *Hæc frustrà ne dicam ineptè à Smiglecio dicuntur, quasi verò quia sacrificium transferendum erat: idcircò sacrificium missæ excogitandum fuerit, & non satis legis sa-*

crificium translatum sit, per hoc, quod nunc Christus in cælo administrat, qui secundùm Melchizedeci similitudinem, non ex sacerdotali familia ortum habens, perpetuò sacerdos manet; ut quidem divinus ille autor rei istius rationem explicat. Valeant igitur tandem somnia ista, & prodeat tandem vincatq; veritas.

Addit præterea Smiglecius, Christum primum hujus sacrificii autorē fuisse, ipsumq; primum in cœna ultima obtulisse, tunc nimirum, cùm disertis verbis asseveravit se corpus & sanguinem suum dare, non solum nobis ad manducandum & bibendum: sed etiam pro nobis Deo in remissionem peccatorum. Dedit enim nobis carnem & sanguinem ut sacramentum; dedit pro nobis ut sacrificium. Verba Christi expressa sunt apud Lucam: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Expressiora apud Paulum: quod pro vobis frangitur. *Hæc ille. Respondemus autem, Smiglecium & ea hîc dicere, quæ à vero absunt, & ea concludere, quæ nullo consequentiæ nexu sunt colligata. Primò enim dicit Christum ipsum in ultima cœna & instituisse sacrificium missæ, & ipsum primum obtulisse. Deinde asserit, eum tunc hoc fecisse, cùm diceret, se corpus & sanguinem suū dare, quod similiter falsum est. Tertiò affirmat, Christum corpus sanguinemq; suum in eadem cœna non solum nobis ad comedendum & bibendum, sed etiam pro nobis in remissionem peccatorum dedisse,*

quod

quod etiam falsissimum est. Quarto deniq; ait, Christum tunc dedisse nobis carnem sanguinemq; ut sacramentum: dedisse autem pro nobis ut sacrificium, quod similiter nihil plane cum vero conjunctum habet. Hæc omnia ideò tam audacter vera esse pernego, quòd & à Christi verbis, & ab eorundem sensu, & deniq; à scopo quem sibi Christus in hoc negotio propositum habebat, planè abhorrent. Primò enim liquidissimè constat, Christum nequaquam dicere se corpus sanguinemq; suum in cœna illa sacrificare, aut nobis dare ut sacramentum, proq; nobis dare ut sacrificium: nec dare *hoc loco idem esse, quod* offerre, *ulla ratione probari potest. Iam quod ad Christi mentem propositumq; attinet, satis constat, eum nihil minus cogitasse, quàm corporis sanguinisq; sui hostiam in cœna illa constituere. Cùm enim hîc videamus, unum tantùm cœnæ Dominicæ finem scopumq; antè oculos nostros positum esse, nimirum Christi commemorationem, sive ut Paulus rem istã explicat, mortis illius annunciationem, quorsum, quæso attinet, contra omnem veritatem, Christiq; mentem illud statuere, quod & per se monstrosum est, & nihil cum negotio, quod hîc agitur, conjunctum habet? Contrà verò compertissimum est, Christum per cerimoniæ istius religionem, commemorare, vel ejusdem mortem annunciare, nihil aliud esse, quàm, quid quaq; ratione pro nobis passus mortuusq; sit quodammodo repræsentare: quemadmodum & Christus, jam instantes passiones suas, mortemq; jam ferè præsentem, panem accipiendo, frangendo, disci-*

discipulisq́ ad comedendum vinumq́ ad bibendum dãdo adumbravit. Id quod à nostris hominibus, scriptis in lucem editis non uno in loco demõstratum est. Quod autem Smiglecius verba datur, traditur, effunditur *in præsenti tempore posita urget, nihil id ipsius causam juvat: cùm nequaquam novum sit tempus præsens pro futuro à divinis autoribus usurpari: idq́ tum propter rei, qua de agitur certitudinem, tum propter mox futuram executionem. Quo pacto Christus de suis omnibus loquens dicit:* Ego vitam æternam do eis, *licet tunc nondum daret. Item:* Ego pro eis sanctifico meipsum *id est, illorum causa morior: licet tunc nondum moreretur: sed paulò post moriturus est. Cujusmodi & illud est:* Nunc ad te venio, *quamvis iter illud quod crucis morte, resurectioneq́ ipsius continebatur, nondum esset ingressus. Eodem modo & illi qui in Iesum Christum credunt vitam æternam habere dicuntur: quia licet nondum eam habeant: certò tamen habituri sunt. Reliqua quæ hîc dici possent in libro nostro de vera religione, uberrimè disputata sunt. Dicit porro Sm: Apostolos mãdatum ab ipso Christo accepisse hoc sacrificium offerendi.* Dicente enim Christo, *inquit,* Hoc facite in meam commemorationem, intellexerunt se divino præcepto obstrictos ad faciendum quod viderant Christum fecisse. *Hæc ille. Quæ quidem quantum à vero aberrent, ex iam dictis constare cuilibet potest: Cùm Christum nec corpus & sangvinem suum in ultima cœna obtulisse: Nec porrò hoc idem Apostolos*

facere jussisse, iam demonstraverimus. Illud autem quod eos facere jubet, nihil aliud esse, quam panem acceptum fractumq; comedere, & vinum ex poculo bibere, ex Christi verbis perspicuum est: qui insuper hoc non ad sui immolationem: sed commemorationem, seu quod planè idem est, mortis ipsius annunciationem fieri voluit. Annunciationem autem istam non in offerendo: sed panem comedendo calicemq; bibendo sitam esse, Paulus luculentissimè docet.

Pergit Smiglecius & dicit: Quare & D. Paulus disertè meminit mensæ Domini & mensæ dæmoniorum, nomine mensæ intelligens altare, in quo immolabatur hic dæmoni, illic Deo: est enim altare mensa sacrificii. *Quis verò Smiglecium docuit, Paulum nomine mensæ Domini, altare intelligere, cùm manifestum sit, Christum unà cum Apostolis suis, quando cœnam instituit, non altari, sed mensæ accubuisse. Neq; enim quia gentiles in altari idolis offerunt, ideo consequens est, etiam mensam Domini altare esse: cùm non oblationis, sed participationis ratione, mensa Domini, cum mensa dæmoniorum comparetur, ut tota verborum complexio indicat. Docet nimirum Paulus eos, qui mensæ Domini accumbunt, hoc ipso facto declarare, se omnium eorum participes esse, quorum gratia Christus mortuus est, quemadmodum & illi, qui victimis quæ idolis libatæ erant, vescebantur, hoc faciendo dæmoniorum consortium profitebantur. Vnde colligitur nequaquam opus esse utrobiq; altare aliquod cogitare: cùm ad Pauli mentem*

tem assequendam satis sit, tam hic quàm illic rerum illarum, de quibus agitur, participationem animo comprehendere. Neq; enim necesse est, ut alterum cum altero rectè comparetur, ea per omnia inter se convenire. Satis quippe est, ea in re alterum alteri simile esse, de qua agitur.

Smiglecius tamen ut sacrificium missæ constituat, cœnamq; Domini in altari celebrandam esse doceat, illa divinißimi autoris verba adducit: Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Hæc esca, *inquit Smiglecius*, non est Christus in altari crucis oblatus. Hanc enim escam habent potestatem edere omnes homines tam fideles quam infideles: sed est Christus in sacramento, qui quidem est esca de altari, quia prius sacrificatur Deo, tum à fidelibus editur. *Hæc Smiglecius. Facile autem quilibet intelligens homo animadvertere potest, Smiglecium ipsum quid dicat, & sic etiam egregiam istam divini autoris sententiam minimè intelligere. Nam & ea dicit quæ secum ipsa pugnant, & autori divinißimo id affingit, quod ipsius menti apertißimè repugnat. Ac illud quidem ita facit, ut iam escis cor stabiliendum minimè esse, cum autore isto fateatur. Iam vero, idq; mox in eadem verborum complexione, escam aliquam nos habere in altari, eundem autorem asserentem faciat, & ita non solum sibiipsi non constet, sed etiam veracem semperq; sibi similem Spiritum Dei, turpißimæ contradictionis insimulet. Ex*

quo &

quo & hoc alterum perspicitur, nimirum Smiglecium id autori huic aßignare, quod ipsius menti planè adversatur: quippe qui ideo nos altare habere dicat, de quo non liceat edere illis, qui ei deserviunt, ut quod de escis dixerat, confirmaret planumq́; faceret escas jam nullum apud Christianos locum habere. Quod ut quale sit intelligamus, sciendum est, ista autoris verba hanc continere sententiam, Christianos nimirum, nequaquam in cibis divini cultus rationem collocare debere, idq́; maxima ex parte inde constare, quod altari dant operam, id est, Spirituales hostias, quarum paulò post ibidem fit mentio, per Christum Deo offerunt, ideoq́; sacerdotii spiritualis officio funguntur. Altare enim illorum est Christus, qui per cruentam mortem in cæleste sacrarium ingressus est. Per hunc enim spirituales hostias sacrificant, hoc est, Christianorum ara est Christiana religio, Christi morte inq́; cæleste tabernaculum ingressu confirmata, ex cujus præscriptione Deum colunt. Ut igitur olim eorum sacrificiorum, quorum sanguis in tabernaculum inferebatur, corpora extra castra cremabantur, & ideo sacerdotum cibus esse non poterant: Ita & religio Christiana, postquam Christus, qui ejus autor est, extra portam patiendo eam confirmavit, omnem ciborum religionem respicit, cultoresq́; suos, qui altari hoc in loco deservire dicuntur, ad eum extra portam exire jubet, ut vana ciborum religione abjecta, veramq́; vitæ sanctimoniam colentes, & spirituales hostias offerentes, unà cum illo omnia adversa pati sustinereq́; discant.

discant. Hanc esse divini istius autoris mentem, quilibet animadvertet, si omnia tum antecedentia tum sequentia istius orationis verba justis ponderibus examinaverit, quamvis argutè admodum, hæc ab illo disputari fatendum sit.

Divo Andreæ affictum commentum nihil moramur ob causam supra dictam. Illud quoque Lucæ testimonium, conficti istius sacrificii confirmandi nullam vim habet, quod quidem hoc est: Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus dixit spiritus S., *&c. Quod enim Smiglecius aliiq; inde colligunt de sacrificio isto verba fieri, quod hic publicum ministerium commemoretur, respondemus consecutionem istam minimè valere: De publico ministerio hic agitur. Ergo agitur de sacrificio missæ: quasi verò ipsa cœnæ Dominicæ celebratio jejuniumq; non sit ministerium publicum. Quod enim Smiglecius dicit, non additum*
" *esse eos jejunasse Domino: sed tantùm Domino mi-*
" *nistrasse, nihil planè esse, cùm non solum nihil prohibeat, quo minus vocabulũ* Domino, *prius expresse positum, postea subaudiatur: sed ipsa etiam orationis euphonia postulare videatur, ut eadem vox minimè repetatur. Quid quod ipse Smiglecius fatetur etiam jejunium ad Dei honorem propterq; Deũ fieri. Adde, quòd si maximè vox* Domini *ad solum ministerium referendũ esset: tamen non mox sequeretur, ministerium istud missæ sacrificium fuisse: idq; non solum propterea quod prius Smiglecio probandum est, istud sacrificium à Christo institutum esse:*

sed etiam nullum aliud esse publicum ministerium quo Deus colatur; præter istud, quod quidem nunquam faciet. Nihil enim vetat quo minus ecclesiam Antiochensem jejunando cœnam Domini celebrasse intelligamus. Hoc enim sacrum negotium ritè peragendo, maximè Domino ministratur. Nam & illi tunc dicto audientes sumus, & laudes illius concinimus, & præstantissimum illius facinus, quòd pro nobis sese in mortem offerendo, fecit, & singularem ejus postquam homines natos inauditam charitatem prædicamus, ipsique solennes gratias agimus. Quamob causam & sacram hanc actionem tum eucharistiam tum liturgiam à veteribus appellari facile patimur.

Ad extremum dicit Smiglecius, quosdam asserere per confictum istud sacrificium irrogari magnam injuriam sacrificio peracto in cruce. *Respondemus autem nos eos non esse, quippe qui expiatorium Christi sacrificium in cruce peractum fuisse negemus. Cæterùm insignem injuriam Christi sacrificio, quod in cælo peragit, fieri constanter affirmamus: cùm illud in terris nec fieri posse nec fieri debere, suprà partim divinis testimoniis, partim evidentissimis rationibus demonstraverimus. Quod autem Smiglecius ait*, per missę sacrificium illud quod in cruce peractum fuit, illustrari ac repræsentari: *id quanquam ad propositum nihil facit, ut jam ostensum est; tamen visum fuit, hîc insigne Smiglecii sophisma detegere: quod prius principii petitione continetur, cùm sacri-*

sacrificium istud suum, Christi institutum esse, nondum probaverit: tum per summam fraudem commentum istud cœnæ Dominicæ palliat, cumque ea ita confundit, ut idem utrumque esse putetur, audacterque affirmat hoc sacrificium tollere, nihil aliud esse, quam vivam memoriam passionis ac mortis Domini tollere. Intelligat igitur Smiglecius, nequaquam nos ita omni sensu orbatos esse, quin inter ipsam cœnam à Domino institutam: & figmentum quod sacræ huic actioni ipse assuit, magnam differentiam esse videamus, probeque intelligamus, nequaquam consequens esse, ut eo rejecto, Christi mortis repræsentatio tollatur: cùm ipsa per se cœna Domini satis sit ad Christi mortem commemorandam atque annunciandam seu mavis repræsentandam. Reliqua quæ postmodum à Smiglecio dicuntur, partim jam per se ipsa jacent, partim nugatoria prorsus, & responsione indigna sunt. Veniendum igitur nobis est ad quintam ipsius demonstrationem.

Christus, *inquit Smiglecius*, suis ministris dedit potestatem conficiendi Sacramētum corporis & sanguinis Christi.

Hanc potestatem nec habent nec agnoscunt ministri Evangelici.

Non sunt igitur veri Christi ministri.

Respondemus majorem falsissimam esse, cùm quod in ea asseritur, nec usquam scriptum legamus, nec cum hac actione à Domino instituta, quicquam commune habeat. Vbi enim quæso legitur cœnam Dominicam esse sacramentum, Christumve hujus

sacra-

sacramenti conficiendi suis ministris potestatem dedisse. Affert quidem Smiglecius illa Christi verba: hoc facite, *nullaq́; alia præterea, ut facilè appareat, hoc commentum sacris testimoniis sustineri non posse. Verùm ne hoc quidem quod adducit, quicquam ad propositum facit: cùm facere, non sacramentum conficere, sed panem fractum vinumq́; infusum ad Christi commemorationem comedere bibereq́; significet: nec id facere ad solos ministros spectare Paulus Apostolus luculentißime testificetur: qui hoc totum negocium & ideò facere istud à Domino acceptum, universæ ecclesiæ Corinthianæ & porrò etiam reliquis ecclesiis, sese tradidisse affirmat. Facere enim hoc ipse explicans dicit,* quotiescunq; panem hunc comederitis & poculum biberitis mortem Domini annunciatis. *Afferat igitur Smiglecius plura scripturæ testimonia, eaq́; evidentiùs ipsius assertionem confirmantia & vincet. Sed quia nullum invenire potuit, ideò ad Patrum autoritatem confugit, quam quidem apud nos absq́; ratione ex scripturæ fontibus hausta, nihil quicquam valere, Smiglecium minimè latet. Quæ postmodũ de poculi benedictione, de Christi illis verbis,* Qui manducat me & ipse vivet propter me. *Item:* Panis quem ego dabo, *Smiglecius disserit, ea iam suprà à nobis refutata sunt. Reliqua quæ ad hãc suam demonstrationem fulciendã affert, quia nullo nec rationis nec scripturæ fulcro nituntur, à nostrisq́; hominibus publicis scriptis refutata sunt, sciens volensq́; prætereo.*

Sexta Smiglecii demonstratio hujusmodi est.

Legitimi ministri sunt dispensatores sacramentorum.

Ministri Evangelici non sunt dispensatores sacramentorum.

Non sunt igitur legitimi ministri.

Hîc primum respondeo paralogismi istius propositionem aliquot modis vitiosissimā esse, nam nec ullo sacro testimonio sive expresso sive implicito nititur: nec ad legitimi ministerii essētiam pertinet, sacramenta dispensare: nec earum rerum administratio, quas Smiglecius Augustini reliquorumq; autoritatem, quam nos minimè moramur, secutus, sacramenta vocat, isto nomine usquam apud divinos autores appellatur. Quid quod suprà suo loco ostensum est, cœnæ Domini distributionem, baptismiq; administrationem ad certos quosdam homines, qui soli necessarioq; hanc personam sustineant, nequaquam adstrictam esse, quamvis reliquis omnibus à Smiglecio enumeratis longè præstent: ut facilè appareat, multò minus hæc ut pote illis inferiora, certis personis alligata esse. Quò fit ut Smiglecius turpissimam consequentis fallaciam admittat, quippe cùm propositionis consequens seu prædicatum, cum ejusdem antecedente reciprocari minimè possit. Ut enim demus legitimos ministros esse sacramentorum, ut à Smiglecio nominantur, dispensatores: non omnes tamen qui ea jurè dispensant, legitimos, ea ratione qua vult Smiglecius, ministros esse concedimus. Doceat igitur Smiglecius, neminem sacramenta quæ nomi-

nominat, dispensare posse, nisi sit legitimus minister, cùm hoc ipsum sit in controversia, & sic argumentationis suæ consequentiam constituet. Adde, quod, ut suprà demonstravimus, non omnia quæ hoc loco percenset, in hodierna Christi Ecclesia locum habent, tantumq́ primævæ illius Ecclesiæ, ut pote tunc nascentis propria fuêre: veluti est impositio manuum, quam plerumq́ Spiritus sancti donatio consequebatur, quod hodie minimè fieri manifestũ est: & unctio quæ miraculosam afferebat morborum sanationem, quam similiter in hæc tempora nostra non cadere, partim ex suprà dictis liquidißimè patet, partim res ipsa docet. Potestatem quoq́ remittendi retinendiq́ peccata, cum illam primam declarationem significat, qua quis salvandus damnandusve sit, pronunciatur, Apostolorum eorumq́ ætatis propriam esse, jam suo loco ostendimus. Cum verò ejus repetitionem denotat, ideoq́ nihil aliud quàm Evangelii prædicatio est, eam ad certas personas, quarum sit propria, minimè alligatam esse, jam usq́ ad nauseam docuimus.

De matrimonii copulatione nihil hîc attinet dicere, cùm supra de ea satis dictum sit. Inanißima igitur est Smiglecii gloriatio, qua sese in eo insolentißimè jactat, quòd Catholici, *quos vocat,* sacerdotes, omnia septem sacramenta integra conservarint ac conservent: *cùm nec usquam illis hoc iniunctum fuisse legamus, nec, ut docuimus, ejusmodi omnia fuerint, ut conservari possent, aut omninò deberent. Ostendat enim Smiglecius, verbi*

causa, se suosq; ejusmodi conservasse manuum impositionem, quam mox consequatur donatio Spiritus sancti. Ostendat ejus generis unctionem suos sacerdotes retinere, quam comitetur admiranda morborum depulsio. Ostendat se suosq; eum baptismum usurpare, qui in primæva illa ecclesia vigebat, ubi non infantes, rationis usu, verbi divini auditione, & sic fide carentes, sed adulti, illiq; vel ab Ethnica, vel à Iudaica religione deficientes, aqua baptizabantur, idq; in nomine Christi, id est, publicè Christi nomen profitentes. Ostendat se Dominicæ cœnæ religionem eodem modo colere, quo ab ipso Christo instituta, à Pauloq; Corinthiis aliisq; tradita est, id est, sese unà cum suis nihil illi addidisse vel ab ea detraxiße: & sic non solum illas murmurationes, gesticulationes, aliasq; nugas incantationibus simillimas non adhibere, quippe quibus nec Christus cerimoniam istam instituens, nec Apostoli eam retinētes usi fuerunt. Ostendat etiā se suos q; Catholicos sacerdotes populo poculum non subtraxisse. Quæ enim ad hanc fraudem tuendam affert, meræ nugæ censendæ sunt: nimirum sese hoc faciendo, prout ecclesia ab ipsis Apostolis & Spiritu sancto edocta fuit, sacramenta, dispensare secundùm Christi mandatum, institutionem & exemplum. Quod quidem falsissimum esse ipsa institutionis verba, ipsaq; hujus sacræ actionis descriptio luculentissimè docet. Dicit etiam nunquam ecclesiam censuisse utramq; speciem ad salutem necessariam esse, quasi verò hoc quæratur, & non potiùs an sacerdotes isti integram hanc actionem conservarint.

Ait totum Christum esse in una specie: quasi verò aut usquam hoc scriptum extet, aut ad rem propositam quicquam faciat: cùm non quæratur, an Christus in aliqua specie sit, sed, an quamcunq; speciem subtrahere sit negotium istud integrum conservare? Verba Christi apud Ioannem ad neutram cœnæ Dominicæ speciem, & sic nec ad ipsam cœnam Dominicam spectare, & suprà demonstravimus, & alibi uberiùs à nostris demonstratur.

Verùm audiamus quid hoc loco dicat Smiglecius: Instituit, *inquit*, Christus utramq; speciem: Sed ea institutio potissimum spectat ad sacrificium: ad sacramenti rationem vel una species sufficit: cùm & totum Christum una contineat, & totum effectum sacramenti conferat, nempe vitam æternam. *Hîc ante omnia animadvertendum est, Smigl: confiteri Christum utramq; speciem instituisse. Neq; enim tam claram veritatis lucē effugere potuit. Verùm animadvertendum est, ipsum sese suo gladio jugulare. Si enim Christus utramq; speciem constituit: cur utramquè speciem minime retinent, sibiq; plus rerum divinarum intelligentiæ, misellì homines tribuunt, quàm Christo, qui qua de causa non unam, sed duas species constituerit, optimè novit?* At, *inquit Smiglecius*, alia est sacrificii, alia sacramēti ratio. Sacrificium enim utramq; speciem requirit, cùm repręsentare debeat Christi passionem & mortem: nimirum non solum corpus crucifixum, sed etiam sanguinem ef-

fusum. *Hîc primum dico, cœnæ Dominicæ hanc distinctionem ut nimirum jam sacrificium, jam sacramentum sit, nullo nec scripturæ, nec rationis præsidio confirmari posse: cùm jam sæpius docuerimus, huic actioni nec sacrificii nec sacramenti appellationem ulla ex parte convenire. Illud autem vel summæ cæcitatis, vel perfrictæ frontis argumentum est, quòd Smiglecius, nullum præceptum proferri posse, asserit, quo ad utramq; speciem sumendam adstringamur. Quid enim an non satis is ad utramq; speciem adstringit, qui utramq; instituit, dum non modo panem fractū comedere: verum etiam ex poculo omnes bibere jubet, & utrumq; ad sui commemorationem fieri postulat? Quæ quidem Christi commemoratio, cùm totius hujus negotii fundamentum sit, satis mirari non possumus, Smiglecium unà cum suis antecessoribus hodiernisq; sociis, quod ad utramq; cœnæ Dominicæ partem à Christo refertur, id uni tantùm speciei assignare, nimirum Christi mortis anunciationem, quæ ut jam sæpissimè dictum est, ipsaq; adeo verba Pauli sonant, non solum in edendo panem, sed poculum etiam bibendo constituta est.*

At, *inquit Smiglecius*, verba, hoc facite in meam commemorationẽ, de sola panis specie absolutè leguntur: de altera verò nõ absolutè: sed hoc facite quoties bibitis in meam commemorationem. *Hîc respondeo Smiglecium valde errare, cùm utraq; species, absolutissimè, quod ad ipsum usum attinet, à Christo mandata sit, ut ex duobus scripturæ testimoniis, quæ ipse*

contra

contra sese adducit perspicuum est: quorum alterum est: Bibite ex hoc omnes, *alterum*, accipite & dividite inter vos. *Quæ tametsi Smigl: nullam præceptorum vim continere asserit, sed tantum offerentis, minimè verò obligantis esse: id nimirũ summæ impudentiæ argumentum est, cùm non solum verba ista expressè in imperativo modo proferantur: sed etiam ipsa Christi mens consiliumq; nequaquam fuerit civilem quandam vulgaremq; & in hominum arbitrio positam, tam poculi propinationem, quam panis appositionem instituere: sed totam actionem, ad mortis suæ commemorationem, tandiu in ecclesia, dummodo ea semper extaret, duraturam, dum ipse veniret, suis celebrandam tradere. Quod quidem neminem negaturum certo scio, nisi velit disertissimis Pauli verbis contradicere, qui sese rem istam à Domino, eodem prorsus modo acceptam aliis tradidisse affirmat. Nihili igitur faciendæ sunt istæ Smiglecii elusiones, ut pote nullo nixæ fundamento: contrà verò & verbis & menti Christi adversa fronte repugnantes. Quod enim verbo*, quotiescunq;, *ostendere conatur, non absolute nos juberi ex poculo bibere, meminerit idem vocabulum paulo post, ab eodem Apostolo non minus ad panem quàm ad poculum referri, cùm ait*, quotiescunq; Panem comeditis, poculumq; bibitis. *Quo fit, ut si vera Smiglecius hoc loco dicit, non magis ad panem comedendum, quam ad poculum obligemur, & sic non solùm unam, sed utramq; speciem, totamq; adeo Christi cœnam à Smiglecio tolli necesse sit.*

Discat igitur tandem Smiglecius, vocabulum quotiescunq; , *non ad ipsum cœnæ Dominicæ usum necessitate, quæ ex Christi mandato dependet, excludendum, adhibitum esse: sed quemadmodum temporis Significationem habet, ita ad tempus referri debere, ut nimirum ostendatur, cœnæ Dominicæ usum nobis quidem planè à Domino mandatum fuisse, ad certum tamen tempus minimè alligatum, sed in ecclesiæ arbitrio positum esse, quibus temporibus istud Christi mandatum exequi velit. Quod sine dubio ipse Smiglecius animadvertit, ideoq; hanc adhibuit correctionem.* Quod, *inquit*, si præceptum esse censeatur, illud ad duodecim illas personas, vel eorum successores tantum pertinet, qui non sũt omẽs fideles, sed sacerdotes. *At verò quis Smiglecium hæc docuit? cùm præter quam quod Paulus utramq; speciem à Domino acceptam toti fidelium ecclesiæ tradere affirmat, nobisq; iam satis demonstratum sit, non solùm Apostolos in suo munere nullos habuisse successores: sed etiam ejusmodi rem hîc Domini jussu fieri, quæ omnium Christianorum communis est. Vnde colligitur & ea, quæ statim subiungit Smiglicius, falsissima esse*, tunc demum omnes fideles ex poculo bibere debere, quãdo eis à sacerdotibus fuerit exhibitum: *quasi verò iam ostenderit, necesse omnino esse, ut certi homines constituantur, qui reliquis hominibus cœnam dispensent, inque eorum arbitrio situm esse, vel calicem fidelibus bibendum*

dare,

dare, vel non dare, ut facilè appareat, Smiglecium principium petere.

Pergit autem Smiglecius & dicit: Iam quod ſanguinem in calice dixit Chriſtus eſſe novi Teſtamenti, inde non ſequitur, nos non futuros novi Teſtamenti participes. Nam ſanguis Chriſti eatenus ad novum Teſtamentũ ſpectat, quatenus pro nobis effunditur, non quatenus à nobis bibitur. *Hîc reſpondeant reliqui Evangelici quicquid velint. Ego pro mea parte dico, hîc Smiglecium id præſ ponere quod falſiſſimum eſt, nimirum nos calicem bibendo fieri novi fœderis & ſic remiſſionis peccatorum, qua vita æterna continetur, participes. Satis enim ſuprà, cùm de poculo benedictionis & fractione panis ageremus, demonſtravimus, nos poculum bibendo, Deo Chriſtoq; gratias agere, & ſimul oſtendere nos ſanguinis Chriſti, id eſt, novi fœderis iam eſſe participes. Quã quidem ad rem opus eſſe ut ex calice bibatur, Paulus non obſcurè docet. Nec exiſtimandum eſt, in calice verum Chriſti ſanguinem fuiſſe, cùm ut res ipſa docet, nosq; ſuprà planum fecimus, vinum calici infuſum, quædam Chriſti ſanguis iam iam fundendi adumbratio fuerit, quo quia novum fœdus obſignandum erat, ideo calix iſte novum Teſtamentum appellatur. His ita conſtitutis, reliqua, quæ Smiglecius de pacto quod Chriſtus in cœna confirmaverit, de ſacrificio in quo ſolo vinum bibendum, de una ſpecie, qua caro viva non exanguis ſumatur, diſputat, ut inania prorſus, iamq; à nobis repulſa, ſua ſponte corruunt.*

ruunt.

ruunt. Verißimum igitur manet, istos egregios sacerdotes, contrà Christi mandatum, laicis quos vocant, alteram cœnæ Dominicæ speciem subtraxisse.

Septima Smiglecii demonstratio.

Ministri veri, sunt Ecclesiæ Catholicæ ministri.

Ministri Evangelici non sunt ecclesię Catholicæ ministri.

Ergo non sunt veri ministri.

Vt hujus paralogismi vanitatem ante omnium oculos constituamus, intelligendum est, Smiglecium Catholicæ Ecclesiæ nomine potißimum ejusdem amplitudinem intelligere. Hoc enim ex illis omnibus clarißimè patet, quæ ad argumentationem istam corroborandam attulit. Ait enim inter alia multa in eandem sententiam ab ipso dicta, Ecclesiæ signum esse quòd sit Catholica, id est, per totum mundum diffusa. Item: Ecclesiam Christi non in aliquo terræ angulo, sed in toto orbe esse debere, *&c. Quo in loco animadvertendum, ipsum Smiglecium fateri, Catholicam esse sive in toto orbe extare, nequaquam ad Ecclesiæ essentiam spectare, & sic nec ad essentiam ministerii pertinere, esse ejus Ecclesiæ servum, quæ hac, qua vult Smiglecius ratione, Catholica sit, posseq; fieri, ut Ecclesia Christi extet, quamvis non semper per terrarum orbem diffusa sit, ut ipse Smiglecius haud diffitetur, cùm Morneo respondens ait*, Non est mirum, Ecclesiam initio fuisse exiguam. *Itē:* Non semper superavit numero reliquos homi-

homines. *Item:* In fine mundi, Antichristo veniente, futurum est, ut Ecclesia cogatur & restringatur. *Hæc aliaq́; similia Smiglecius. Ex quibus perspicuum est, Smiglecium sibi ipsi contradicere, & porrò nihil proficere, cùm non solum his, quæ dixit stantibus, Catholicum esse de ecclesiæ essentia non sit, ideoq́; ad Ecclesiæ ministrum cōstituēdum nihil quicquam pertineat: sed nec verum Ecclesiæ signum nominari poßit. Fatendum quippe Smiglecio est, nisi à sociis suis vult dissentire, ejusmodi hîc signa requiri (si modo illis opus est, vel ulla ratione dari possunt) quæ propria, inseparabilia, necessaria indubitataq́; sint, semperq́; in re signata reperiantur, id quod de hac Ecclesiæ per totum orbem diffusione, dici non posse, partim ex ipsis Smiglecii verbis patet, partim res ipsa docet. Fuit enim tempus, cùm Christi Ecclesia vix in una provincia, nimirum Iudaica consisteret, nimirum post Christi in cælos ascensum. Tantùm quippe abest, ut tunc statim apud gentes vigeret, ut nec in omnibus Iudaicæ regionis partibus locum haberet. Quid igitur? an ideo ecclesia illa non habuit veros ministros? quia nimirum memorata ratione ac via Catholica non fuit? Quod idem & de Ecclesia illa, quam sub finem mundi cogendam restringendamq́; esse, nescio quibus nixus argumentis, ipse Smiglecius asserit, sentiendum est, nimirum eam veris ministris destitutum non iri. Quod quidem satis est ad Smigleciani syllogismi propositionem negandam. Nam quod dicit,* reliquo tempore ante adventum Antichri-

sti Ecclesiam non cogi, sed per totum mundum dilatari debere, *id aliquot modis vitiosum est. Primò enim præsupponit antichristum nondum venisse: quod falsum esse iampridem res ipsa testatur, omniumq; cordatorum hominum oculis patet. Deinde nulla ratione, Ecclesiam medio tempore, nimirum inter Apostolorum ætatem, finemq; mundi, necessariò per orbem terrarum dilatandam fuisse, demonstrari potest. Quinimò cùm in hominum arbitrio positum esse constet, vel salutarem Christi doctrinam amplecti retinereq;, vel eam contemnere, aut acceptam denuò repudiare, fieriq; posit, ut paucissimi eam accipiant, acceptamq; retineant: quid quæso cogit, ut ecclesiam etiam eo ipso tempore, quod inter Apostolos finemq; mundi intercessit, necessario ubivis terrarum existere statuamus? Adde quòd si maximè ita esset, non tamen id efficeret Smiglecius quod vult, nimirum eos tantùm veros ministros esse, qui sunt Ecclesiæ Catholicæ ministri, cùm ut iam ex supra dictis intelligi potest, non solum illos, qui sub finem mundi Ecclesiæ, quantumvis coactæ secundùm ipsius opinionem, ministri futuri sunt: sed etiam qui tempore Apostolorum, eo officio functi fuerunt, & sic ipsos Apostolos, ut falsos ministros eum damnare oporteret. Quod quidem quàm rectè faceret, ipse videat.*

At, *inquit Smiglecius*, ipse Christus ita futuruum prædixit: Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus & tunc veniet

con-

cōsummatio. *Quid verò hoc ad rem, cùm hîc non quæratur, an Christi Evangelium in universo orbe sit prædicandum: sed an necessario futurum sit, ut omnes illud amplectantur. Quod quidem præter iam dictam ca[illegible]am, etiam inde falsum esse colligitur, quod Dominus hoc in testimonium omnibus gentibus futurum esse ait. Hoc autem nullam aliam vim habere omnes sani intelligunt, quàm ideò ubiq; Evangelium prædicatum iri, ut gentes, si illud amplexæ minimè fuerint, nullam sceleris sui excusationem habeant, ut ex similibus locis liquidissimo constat.* Mat. 8. 4. *Ex quo intelligitur tantum abesse, ut isto Christi testimonio ubiq; ecclesiam necessario fore confirmetur, ut potius facilè contrà fieri posse demonstretur. ut nihil dicam Smiglecium sibi parum constare, qui suprà, sub finem mundi, eclesiam cogendam restringendamq; dixit: hîc verò contrarium ex his Christi verbis colligere videtur.* Luc. 9. 5. Mar. 6. 11. *Iam quod ad promissum Abrahamo factum attinet:* Benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ: *id quoq; nullam rei isti, qua de agitur, necessitatem imponere ex eo constat, quod Paulus hunc locum explicans, fidei condicionem expressit, dicens:* Cognoscitur ergo, quòd qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ: providens autem scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænunciavit Abrahamo, quia benedicentur in te omnes gentes. *Ad fidem autem & sic Abrahæ filiationem, seu quod planè idem est, ad Deo Christoq; obediendum neminem vi cogi plusquàm manifestũ est.*

est. Quo fit ut hi aliiq; similes loci ad Dei consilium, non autem ad necessarium effectum referendi sint, ut pote per quem nihil stet, quo minus omnes homines Christi doctrinam amplectantur, in eumq; credendo filii Abrahæ evadant: quippe qui ut ex Pauli verbis apparet, eiusmodi justificationis viam, per Christum terrarum orbi monstraverit: qua non solum Iudæi, sed etiam gentiles, si modo Dei clementiam minime respuant, sempiternam benedictionem felicitatemq; adipisci possint. Verba etiam illa: Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in litore maris, *istam ecclesiæ per totum terrarum orbem diffusionem necassario non arguere, præter iam dicta etiam hinc constat, quod Deum, hoc promißum, Abrahamo multò ante præstitisse, scriptum legimus, quàm Christus nasceretur, Evangeliumq; in toto terrarum orbe prædicaretur.*

3. Reg. 4. 40

Verba etiam illa Psalmi secundi: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionē tuam terminos terræ. *Item:* Convertentur ad Dominum universi fines terræ, & adorabūt ante ipsum universæ familiæ gentium. *Hæc inquam verba in diversis Psalmis extantia, ob iam allatas rationes, nequaquam testificantur, omnino necessarioq; Christi ecclesiam in toto orbe consistere debere: sed potius significant, Deum per Christum ipsiusq; doctrinam non solum toti terrarum orbi amplissimam occasionem præbiturum, ad ipsum sese conferendi, tantamq; in illos summæ inauditæq; charitatis*

ritatis benevolentiam declaraturum, ut sceleratissimum omnisq; probitatis expertem hominem esse oporteret, qui ea minimè devinciretur, & ad ipsum redamandum, ultroq; sese ejus imperio subijciendum non commoveretur. Quodquidem omnem coactionem excludit. Hæc omnia tamen non perindè à nobis disputantur, quasi primis illis ecclesiæ tẽporib: maximum undiq; numerum ad Christum confluxisse negemus. Quia enim Christi doctrina & miraculis innumeris anteaq; inauditis, & aspectabili Spiritus S: donatione, & donorum varietate, aliisq; multis argumentis confirmabatur, idcirco tantus ipsius erat splendor, ut homines quamplurimi, qui probitate delectabantur, maximam ei fidem autoritatemq; tribuerent. Sed eam ob causam, ad eum modum hactenus locuti sumus, ut Smiglecius unà cum suis intelligat, hanc rem nequaquam tanta astrictam fuisse necessitate, quin aliter se habere potuerit: & si contrà fiat, minimè consequens esse, ecclesiam, quantacunq; & quocunq; in loco sit, veros ministros habere non posse. Falsum igitur est, quod Smiglecius Augustini autoritatem secutus dixit, ecclesiam in toto terrarum orbe extare debere: *si modo verbũ* debere *pro* teneri, *& quasi lege quadam* obstrictum esse, *usurpavit. Cùm igitur nec principium nec finis ecclesiæ catholicus fuerit, nec medium necessariò ad istam per terrarũ orbem diffusionem adstrictum fuerit, desinat tandem Smiglecius miseras istas rationes subducere, sibi ipsi contradicere, negareq; ministros nostros veros ecclesiæ*

mini-

ministros esse, *quia nimirum non sint ejus ecclesiæ ministri, quæ semper existat, fuerit, futuraq́; sit catholica, id est, ubiq́; terrarum vigeat.*

Verùm hæc omnia, quæ Smiglecius hoc loco dicit, nonnisi huc spectant, ut Romanensem cohortem veram Christi ecclesiam esse doceat, ut ex his ipsius verbis perspicuum est, Quod in Romanam Ecclesiam, (*nimirum catholicam esse*) verè convenit. *Atqui docendum prius erat, eam veram ecclesiam esse. Hoc ipsum enim in controversia est, & à nobis ideò negatur, quòd non solum salutarem Christi veritatem non habet, sed etiam ea tradit sequiturqúe dogmata, quæ salutari veritati repugnant. Cùm enim hæc maxima ex parte in vero Dei Christiq́; cultu consistat, huncq́; ecclesiæ Romanæ dogmata evertant, quis non videt eam veram ecclesiam minimè esse? Dogmata autem illa sunt, verbi causa, quæ de cultu imaginum, sanctorum mortuorum, de sacrificio missæ, de panis eucharistici Papæq́; adoratione, deniq́; de verbo non scripto, tradita à Romanensibus sunt. Probandum etiam Smiglecio erat, per terrarum orbem diffusum esse, veram ecclesiam cōstituere, quod contrà esse, jam à nobis demonstratum est.*

At, *inquit*, si adversarii eo signo non contenti, alia signa quęrant, signum non dabitur eis, nisi Christi Domini, qui providens has istorum tenebras, digito quasi demonstravit ubi esset, & ubi eam à nobis quæri vellet, nempe ubi eam ipse ædificavit: in illa nimirum

rum petra, cui dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. *Hic non possum satis mirari, Smiglecium tantum Iesuitam tàm turpiter extra oleas vagari, cùm ei propositum hoc loco fuerit docere, veros ministros ecclesiæ Catholicæ ministros esse: hoc quippe esse Ecclesiæ signum, quod Catholica sit, fuerit, semperq́; futura sit: & non ubi Ecclesia vel in quo ædificata sit ostendere. Hoc enim insuper est aliud argumentum afferre, quod & materia & forma à priore diversissimum cùm sit, undecimæ demonstrationis loco ab illo afferri potuisset, ut ostenderetur, ejus demum ecclesiæ ministros, quæ super Petrum ædificata est, veros ministros esse. Verùm transeant ista, respondendum nihilominus, & docendum, Smiglecium nihil proficere. Dicimus igitur, quicquid alii hac de re sentiant, nos nulla ecclesiæ signa quærere, nec illis ad ecclesiam cognoscendam opus esse, nec ea dari ullo modo posse, ut in aliis nostris scriptis ostendimus: nec porrò ædificatam esse super Petrum, ecclesiæ notam esse, ullo pacto concedimus. Tametsi enim minimè negamus, verba Christi ad Petrum pertinere: tamen si res ritè perpendatur, facilè intelligetur, super Petrum ædificari, nihil aliud esse, quàm salutarem Christi veritatem per Petrum aliosque Apostolos traditam tenere: quod quidem non signum est, sed ipsam Ecclesiæ essentiam constituit. Neq́; enim ita cum ratione insaniendum est, ut ecclesiam super ipsam Petri aliorumq́; Apo-*

stolorum personam ædificatam esse statuamus, cùm hoc & absurdum & ex eorum numero sit, quæ fieri non possunt. Præterquam enim quod homo, qui suæ natura imbecillis fragilisq; est, tanti ædificii molem sustinere non potest, etiam tota ædificationis metaphora à Christo hîc, & ab Apostolis alibi usurpata, omnisq; adeò spiritualis istius ædificii ratio suadet, hîc ad Christi doctrinam per Petrum aliosq; Apostolos primò prædicatam, respectum haberi, & porrò super Petrum aliosq; Apostolos ædificari, nonnisi in eorum doctrina quæ Christi est inniti seu eam tenere. Quod verò Petro in hoc munere etiam alios Apostolos adjungo, id Smiglecium nequaquam male habere debet, cùm hoc divinis nixus testimoniis faciam, quæ non minus illis quam Petro, fundamenti titulum tribuunt. Nec quicquam cum vero conjunctum habet, quod Smiglecius Petrum totius Ecclesiæ, ut ordinarium pastorem fundamentum dici: in aliis verò particulares Ecclesias fundatas esse asserit, cùm hoc nullo scripturæ rationisvé præsidio defendi possit. Adde quod illi scripturæ loci, in quibus Apostoli, nec non Prophetæ Ecclesiæ fundamentum nominantur, huic Smiglecianæ assertioni planè repugnant. In Apocalypsi enim Ioannis, non Ecclesiæ particularis, sed totius urbis sanctæ, nimirum Hierosolymæ duodecim Apostoli, fundamentum dicuntur. In Epistola quoq; ad Ephesios Apostoli Prophetæq; ejusmodi fundamentum disertissimis verbis nominantur, cujus Christus sit angularis lapis, in quo totum ædificium crescit in templum sanctum in Domino,

mino, ut facilè appareat, hic generalißimum quoddam fundamentum ædificiumq; nobis ob oculos poni. Nam & generatim omnes Apostoli Prophetæq; memorantur, cùm uni particulari Ecclesiæ fundandæ unus suffecisset, & Christus ejus fundamenti angularis lapis appellatur, quod totum ædificium sustinet: & deniq; Ephesiani, qui particularem per se ecclesiam constituebant, ab universo isto & fundamento & ædificio quasi distinguuntur, cùm eos Apostolus his verbis admonet: In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. *Vrget tamen Smiglecius Christi illa verba,* Ego tibi dico, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam *Quæ quidē ut ad solum Petrum pertinere ostendat, quatuor affert rationes. Prima est,* Dominum his verbis singularem Petri excellentiam explicare voluisse. *Altera est,* quòd non temerè illi soli Petri nomen indiderit. *Tertia,* quòd eidem dixerit: & tibi dabo claves regni cælorum: cùm autem idem sit super Petrum fundare Ecclesiam, & tradere ei claves regni cælorum, consequens esse, *ait,* super Petrum ædificatam esse Ecclesiam. *Quarta,* quòd soli Petro tunc revelaverit Pater cælestis, quem confiteri deberet Christum: & idcirco illi soli in præmium confessionis hæc prærogativa concessa sit, & Dominus non tanquam omnium communem approbaverit, cùm non dixerit, Beati estis, quia caro & sanguis

revelavit vobis: sed Beatus es Simon Bariona. *Hæc Smiglecius: ad quæ omnia sigillatim respondebimus. Primò igitur nequaquam consequens esse dicimus, quia Christus solum Petrum alloquendo, singularem ipsius excellentiam explicare voluit: idcirco solum Petrum Ecclesiæ fundamentum esse, cùm longè alia hujus rei causa dari poßit, nimirum quòd in fundanda Ecclesia, reliquis tum Apostolis tum Prophetis præiturus esset, quod quidem satis erat ad Petri præ aliis excellentiam explicandam. Secundò, fatemur Christum soli Petro hoc nomen non temerè imposuisse: inde tamen consequi, super ipsum solum Ecclesiam ædificatam esse pernegamus: cùm jam scripturæ testimoniis planum fecerimus istam Petri prærogativam nequaquam in eo consistere, quòd ipse solus, reliquis exclusis, Ecclesiæ fundamentum sit resq; ipsa doceat, nullam majorem Petri prærogativam dari posse, quam quod in fundamenti ratione, sibi cùm aliis communi, illis quodammodo præiverit, ordineq; primus fuerit, ut ex actis Apostolorum aliisq; non paucis scripturæ locis manifestū est. Tertia Smiglecii ratio nihil continet, quod nostræ sententiæ sit contrarium: cum sponte nostra fateamur, Ecclesiam Christi super Petrum fundatā eße. Quod verò quarto loco Smiglecius asserit soli Petro tunc revelatum fuisse, quem confiteri deberet Christum esse, nulla ratione probari potest: imò falsissimum id esse inde constat, quod & reliqui Apostoli, multò ante hanc Petri confessionem, idem probè noverunt, ut testis est Matthæus cap. 14. v. 33. Adde quod*

Andreæ fratri ejusdem Petri, alteriq; cuidam discipulo, prius Iesum esse Messiam sive Christum quàm Petro revelatum fuisse, scriptum legimus. Is enim Andreas, ut testis est Iohãnes, primum invenit fratrem suum Simonẽ & dixit ei, Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. *Quid quod statim in ipso initio, tum Philippo tum Nathanaeli, tum reliquis, qui sese tunc ad illum conferebant, innotuit, eum esse Christum, ideoq; in illum crediderunt, ut ex primo secundoq; Iohannis Evangelii capite perspicuum est. Vt igitur Smiglecius ex falso suo pronunciato, falsum concludere, nescio qua fronte ausus est: ita multo magis nos ex vero verum concludere possumus: nimirum quia non soli Petro divinitus revelatum fuit Iesum esse Christum: ideo non solum Petrum eo in loco, sed sub ipsius persona & reliquos fundamentum ecclesiæ appellari. Cum enim nihil aliud tunc Domino Iesu hujus orationis causam attulerit, quàm Petri de ipso confessio: idemq; ut docuimus, & reliqui tunc de illo senserint, manifestissimum certè est, ejusdem causæ, eundem esse effectum. Quod quo sit confirmatius intelligendum est, Christum cum suis discipulis colloquẽtem, omnes interrogasse, quid de ipso sentirent, & porro Petrum respondentem omnium personam sustinuisse. Quod etiam hinc magis apparet, quòd Dominus Petri responsione cõtentus, nequaquam ab unoquoq; seorsim eadem de re quærit. Atqui Smiglecius hoc ideo verum esse negat,* quòd non ex commissione aliorum responderit. *Quam frivolum autem hoc*

sit, inde patet, quod nec hoc probat, nec scripturæ hac de re silentio, hoc probare potest: cum à non scripto ad non esse consequentia minimè valeat. Adde quòd de re prorsus eadem Petrum reliquorum nomine respondisse, quamvis similiter nullius ibi commissionis fiat mentio, ipsum Smiglecium fateri oportet. Interroganti enim Christo omnes universè, num & ipsi, ut Capernaitæ, discedere vellent: respondit Petrus pro omnibus: Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quòd tu es Christus filius Dei vivi. *Ex his omnibus colligitur, Petrum non solum ipsius rei, sed nominis etiam ratione habita, reliquorum personam sustinuisse, ita ut eo nominato, omnes simul nominari statueretur. Quod quidem haud absurdè à nobis dici, præter ea, quæ jam diximus, inde perspicitur, quòd Paulus asserens Petro creditum fuisse Evangelium circumcisionis, non solum Petrum, sed reliquos etiam Apostolos, apud Iudæos Evangelium prædicantes, sine dubio intellexit, quippe quibus non minus quàm Petro ea persona imposita esset. Quod verò Dominus Petrum potius, quàm reliquos alloquitur, in promptu causa est, quam & jam diximus, nempe quia tum Petrus pro illis respondit: tum quia ipsius nomen ad rem quam Christus parabat, accommodatissimum fuit, ideo sine dubio ipsi impositum, quod reliquis in ejusdem muneris officio præiturus erat.*

His ita constitutis, non abs re fuerit explicare, quam ob causam Apostoli Prophetæq; Ecclesiæ

funda-

fundamentum dicantur. Intelligendum igitur est, id ideo fieri, quod quemadmodum qui domum aliquam ædificare instituit, is omnium primo fundamentum ponit: ita Christus spirituale Dei domicilium fabricaturus, ab Apostolis vatibusq; initium fecit, eos omnium primò Dei suiq; ipsius noticia & salutari disciplina instituens, ut per eosdem omnes alios homines cœlesti veritate illuminaret, sibi adjungeret, & porrò supra illos, id est eorum doctrinam, quasi suprà fundamentum aliquod construeret. Qua de re fusius in aliis scriptis nostris explicavimus, ad quæ lectorem remittimus.

His quæ diximus, attentè consideratis, facilè intelligetur, ea quæ Smiglecius subjungit, vanissima esse, nimirum fudamenti officium, quod Petrus sustinuit, etiam in ipsius successoribus perseverare: cum hæc sententia turpissimam contineat contradictionem, ideoq; nihil illa stolidius nihil ineptius esse possit. Aperte enim repugnat, fundamentum, & ejusdem fundamenti ratione successorem esse. Cùm namq; fundamentum Ecclesiæ esse, sit in illis primis Ecclesiæ fundatoribus numerari, primoq; à Christo poni, & salutari ipsius veritate collustrari, ut demonstravimus: successorem verò agere, nequaquam ex illis primis esse, sed eos sequi significet, quis non videt hæc inter se contraria esse?

Instat tamen Smiglecius, asseritq;, Christum voluisse ecclesiæ ædificium perpetuum esse, permanens in seculum seculi: ideoq; & fundamētum ejus simili ratione perpetuum es-

se voluisse, cùm sine fundamento ædificium consistere non possit. Petrum igitur non tam ratione suæ personæ, quàm ratione sui officii, quod etiam in successoribus perseveret, perpetuum ecclesiæ fundamentum esse. alioqui defecisset ecclesia Christi, & portæ inferi prævaluissent eam. *Hæc Smigl. dicere videtur. Respondemus autem primò Christum nequaquam absoluta voluntate voluisse, ut ecclesia perpetuò usq; ad finem mundi permaneret: cùm & nos suprà demonstraverimus, & alii idem copiosissimè fecerint, in hominum ex quibus ecclesia constat arbitrio positum esse, vel in agnita veritate perseverare, vel ab eadem deficere. Voluisse igitur Christum ecclesiam usq; ad finem mundi durare, concedi potest, si non quidem absolutam, quæ humanæ voluntatis libertatem impediat: sed illam voluntatem spectes, quæ alio nomine desiderium appellari potest. Quo pacto & Deum velle omnes homines salvos fieri, non cogendo, sed desiderando, à Paulo Apostolo dici intelligendum est. Quo fit ut fundamentum ecclesiæ perpetuum futurum esse, ex hoc Smiglecii pronunciato concludi nequaquam possit, quamvis eam rem, in qua Ecclesia fundata sit, & si esse desinat, iterum fundari potest, semper mansuram esse minimè diffitear. Quæ quidem res nec Petri persona fuit, ut suprà demonstravimus, ipseq; Smiglecius hoc loco fatetur: nec ipsius successores, quos in fundamenti officio nullos habere potuit, ut ostendimus, ipseq; Smiglecius haud obscurè fatetur, suoq; se gla-*

dio

dio jugulat, dum dicit, legationis officium non esse ordinarium, nec transire ad successores, sed unà cum morte expirare. *Similiter enim & de fundamento judicandum est, cùm Apostolum fundamentumq́ esse, idem reipsa sit: & nonnisi ea ratione illi, tum fundamenti, tum Apostolorum nomine appellati fuerunt, quàm quod ut fundamentum domicilii istius primo positi, id est primo veritate salutari imbuti, ad homines Christo per Evangelii prædicationem adjungendos missi fuerint.*

Animadvertendum præterea est, Smiglecium his verbis: legationis officium non est ordinarium, nec transit ad successores, sed unà cum morte expirat: *totum librum suum jugulasse, quippe in quo præcipuè id agit, ut neminem nisi legatum aut missum ecclesiæ ministrum esse posse, demonstraret. Tanta nimirum est vis veritatis, ut nūquam hominum astutia ita opprimi demergiq́ possit, quin tandem emergat, sæpeq́ suis inimicis, quantumvis invitis excidat, in apertumq́ prodeat. Sed ut ad propositum revertamur, intelligendum est rem in qua Ecclesia fundatur, esse Christi Apostolorumq́ doctrinam, & sic minimè consequi id, quod Smiglecius hoc loco videtur colligere, nimirum si officium Petri, quod est Ecclesiæ fundamentum esse, in ipsius successoribus non perseveraret: mortuo Petro Ecclesiam defecturam, & portas inferni eam prævalituras fuisse. Satis enim est Christi doctrinam perpetuò manere, quippe quæ ad Ecclesiam & fundandam & conservandam sufficiat, dummodo accipiatur, &*

retineatur, ut facilè appareat, etiam Petro tum ipso, tum confictis ea in re, ipsius successoribus mortuis, ecclesiam tamen consistere, contraq́ inferni portas sese tueri posse. Intelligendum quippe est, ab inferni portis minimè superari, non illud esse, quod Smiglecio videtur, nimirum externa carnaliq́ claritate, hominum errantium multitudine, Paparum, Episcoporum, Iesuitarumq́ titulis ac pompa, aliisq́ his similibus rebus per longum tempus florere, & fundos, quos spirituales vocant, tenere: cùm potius hæc ipsa maximo argumento sint, Ecclesiam, quæ in istis rebus gloriatur, jam ab inferni portis superatam esse. Hæc enim illa lata & spaciosa via est, quæ ad infernum, seu, ut Christus loquitur, ad perditionem ducit, perq́ quam multi ambulant. Intelligendum autem est, veram Christi Ecclesiam, ab orci portis non superari, nihil aliud esse, quam eos, qui Christo confidunt, eiq́ obediunt, in mortuorum statu, qui infernus est, nequaquam mansuros, sed tandem ex mortis faucibus ereptos, æternum victuros. Reliqua quæ in eodem capite à Smiglecio dicuntur, partim nihil ad propositum faciunt, partim iam à nobis convulsa sunt. Veniendum igitur est ad octavam ipsius demonstrationem, quæ hujusmodi est

Ministri legitimi sunt veri verbi Dei ministri.

Ministri Evangelici non sunt veri verbi Dei ministri.

Non sunt igitur legitimi ministri.

Assumptionem hujus argumentationis negamus,

mus, cùm ſatis is veri Dei verbi miniſter ſit, qui ea ex divinis oraculis apud populum Chriſtianum proponit, in quibus ſumma ſempiternæ ſalutis conſiſtit, huiq; contraria fugit: veluti ſunt doctrinæ, quibus idololatria impietasq; invehitur. Smiglecius tamen hanc ſui argumenti aſſumptionem inde demonſtrari ait, quod Evãgelici verbum Dei partim rejiciant, dum nimirum verbum non ſcriptum admittere nolunt: partim pravis interpretationibus corrumpant. *Quorum utrumq; quam verè & adrem accomodate à Smiglecio dicatur, videndum eſt. Dicimus igitur primò, nequaquam conſequens eſſe, protinus eum veri verbi Dei miniſtrum non eſſe, qui verbum non ſcriptum rejicit: cùm verbum iſtud non ſcriptum, verbum Dei minimè eſſe, iampridem à multis doctiſſimis viris, à nobisq; in libro de vera religione abundè demonſtratum ſit. Quod quidem quo rectiùs intelligatur, videamus, quid hoc loco dicat Smiglecius,* Rejiciunt, *inquit,* totum Dei verbum non ſcriptum, nullamq; ejus rationem habendam volunt, quaſi verbum Dei, niſi ſcribatur, non ſit verbum Dei, aut à ſcriptura & membranis, non à Deo, ſuam autoritatem habeat. *Hîc reſpondemus Smiglecium inſignem Sophiſtam agere, dum nobis ineptiſſimam iſtam concludendi rationem affingit, quaſi nimirũ, quia aliquid ſcriptum nõ eſt, ideo illud pro Dei verbo habẽdũ minimè eſſe: aut verbũ Dei nõ à Deo, ſed à ſcriptura & membranis ſuã autoritatem habere ſtatuamus. Errat Smiglecius cùm ita*

loquitur. Tam enim scimus, quàm Smiglecius, fuisse tempus cùm Ecclesia Dei verbo, partim ore prolato, partim scripto & fundaretur & viveret. Hodierno autem tempore asserimus, idq́; non paucis etiam patribus adstipulantibus, nonnisi scripto verbo nitendum esse, cùm quæ olim à Christo Apostolisque iam ore, iam scripto, apud homines proposita fuêre, ea omnia, quatenus ad sempiternam salutem attinet, postea literis consignata fuerint: nec ulla ratione demonstrari possit, fuisse aliquod Dei verbum non scriptum ab Apostolis de manu in manus Ecclesiæ traditum, quo omnis posteritas in perpetuum obligaretur. Nec quicquam Smiglecium juvat quod dicit: Hoc ipsum scriptum verbum, quod habemus, ex traditione profectum esse, *&c. Item paulò post:* Quòd si scriptum Dei verbum traditione accepimus, cur eadem traditione non accipiamus non scriptum. *Respondemus & hanc consecutionem duabus de causis pessimè constitutam esse dicimus. Primò enim manifestam continet æquivocationis fallaciã, cùm in eadem disputatione eademq́; de re traditionis vocabulum iam scripturæ opponatur, iam communiter à Smiglecio usurpetur. Deinde falsum est, ab una eademq́; Ecclesia, idq́; pari ratione, tam scriptum quàm non scriptum verbum traditum esse. Illud enim ab Apostolis traditum, id est literis consignatum, inter homines, singulari Dei providentia mansisse agnoscimus: Hoc verò non à vera illi Christi Ecclesia, sed ab illis, qui eam temporis ratione consecuti fuêre, in quibus & Roma-*

Romanenses numeramus, Christiano orbi obtrusum esse inde patet, quod, quemadmodum diximus, & aniles nugas, & ea continet, quæ scripto verbo repugnant, ut alibi iam usq; ad nauseam à nobis demonstratum est. Quid quod verbū Dei ad salutem sufficere, tum Iohannes Evangelista, tum res ipsa docet, cùm ea plenissimè contineat, quæ ad salutem adipiscendam sunt necessaria, nimirum fidem obedientiamq; Deo debitam. Nec quicquam valet, quod Smiglecius Iohannis verba eludens dicit: Hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis: non quod solum suum Evangelium putaverit, omnia necessaria ad salutem continere: sed quòd ea quæ ipse scripsit de Christo, magnam vim habeant ad salutem nobis conferendam si credatur, non exclusis tamen aliis. *Hæc Smiglecius ex suo capite dicit: cùm non solum Iohannes ad istum modum non loquatur: sed etiam ipse verborum contextus indicet, eum hæc sua verba,* Hæc scripta sunt, *&c. illis opponere,* quæ scripta non sunt. *hæcq; quæ scripta sunt, & ad credendum & vitam æternam adipiscendam satis esse docere.* At, *inquit Smiglecius,* de ultima cœna nihil scripsit Iohannes: neque tamen dicunt Evangelici articulum de cœna Domini, non esse necessarium ad salutem. *Hîc verò audacter admodum dicit Smiglecius, Iohannem nihil scripsisse de ultima cœna, cùm tamen aliquid illum de ea scripsisse manifestißimum sit.* Nam *& cœnam fuisse, & de cœna eum surrexisse, discipulis*

pulis pedes lavisse, & hoc peracto iterum consedisse, & discipulos cum eo discubisse, & postquam Iudas abiisset, eum suos prolixis verbis commonuisse: & tandem eos surgere secumq; abire jußisse, apud eundem Iohannem scriptum legimus. Hæc omnia ferè in ultima illa cœna facta fuisse, ex aliis Evangelistis liquidò patet. Hic insuper placet paucis verbis summam Smiglecii inconstantiam omnium oculis exponere, qui cùm suprà capite nono decimoq; disputationis suæ, ea, quæ, Christus Iohan: 6. de corporis sui comestione dixerat, ad cœnam Domini, quantumvis falsò retulisset: nunc suiipsius oblitus, Iohannem de Dominica cœna nihil quicquam scripsisse ait. Verùm ista transeant, unà cum non paucis hîc à Smiglecio in medium prolatis, quæ cùm ad nos minimè spectent, reliquis Evangelicis refellenda permittimus.

Verùm Smiglecius illis Petri verbis suam sententiam constituere conatur: Omnis scriptura propria interpretatione non fit: sed Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines. *Hæc enim verba non nisi de Prophetarum vaticiniis intelligenda esse, ipse verborum contextus docet: quæ vaticinia propriæ interpretationis non esse ideò dicuntur, quod plerumq; non ita ut sonant, accipienda sunt, ideoq; semetipsa nequaquam interpretantur, cùm Deus sub verborum involucris res futuras prænunciare voluerit. Nec tamen opus est, ut à Romanensibus doctoribus vaticiniorum istorum interpretationem petamus, cùm quomodo intelligenda sint,*

& eo-

& eorum completio, & Christus & Apostoli satis iam docuerint. Cujusmodi & illud fuit, quod Philippus Eunucho explicuit. Alia verò divinarum literarum testimonia, dummodo ad ea legenda considerandaq́; animi probitas diligentiaq́; adhibeatur, facilè absq́; ullo insigni interprete intelligi possunt. Quod quidem tametsi de omnibus, maximè tamen de illis dictum existimari volumus, quibus res ad salutem necessariæ describuntur. Quas tantùm abest, ut Deus ab hominum intelligentia remotas esse voluerit, ut singulari ipsius consilio, propter rudiores potissimum in lucem editæ fuerint, ut quidem ex Pauli aliorumq́; Epistolis manifestissimum est. Atq́; in hanc sententiam multa etiam à Patribus de scripturæ perspicuitate dicta esse, Smiglecius, ut pote tantus Theologus ignorare non potest. Nihilominus tamen illis contradicere non dubitat, & collationem scripturæ, qua verus illius sensus elicitur, ea re damnat, quòd quælibet secta eam sibi tribuat. *Sic enim loquitur:* Quî fit ut cum Arriani æquè ac Calvinistæ scripturas cum scripturis conferant, contrarias doctrinas ex scripturis eliciant. Sed & ipsi Evangelici, uno tempore facta scripturarum collatione hoc affirmant, quod alio tempore, facta alia scripturarum collatione negant. Omnes deniq; hæretici scripturas cum scripturis conferũt, & tamen singuli suas hæreses ex scripturis deducunt: ita ut verè scriptum reliquisse Lutherus videatur, scripturam esse hæretico-

rum

rum librum. Ex eo enim omnes ſuas hæreſes hauſerunt, cùm nullus ferè ſit, qui ſuum errorem aliquo ſcripturæ loco nō confirmet. Si dicant Evangelici Arrianos nō rectè ſcripturas conferre: dicent idem Arriani de Evangelicis pariq; ſtudio veritatis ſe ac illos in ſcripturis inveſtigare veritatem. Cùm porro Lutherani deficiunt ad Calviniſtas, vel hi ad illos, nonne utrique collationem ſcripturæ faciunt, & priorem collationem, quam antea probabant, poſtea improbant, & quem Spiritus ſancti ſenſum opinabantur, poſtea rejiciunt atque contemnunt? Summa rei eſt, ſi quæcunque collatio ſcripturæ à quocunque facta, ſufficit ad veram interpretationem ſcripturæ, cum omnes hęretici loca cum locis conferant, ſequitur omnes hæreticos verè interpretari ſcripturas, aut illa regula interpretandi ſcripturas, nō erit uſque quaque certa & indubitata, *Hæ Smiglecius. In univerſa autem iſta ratiocinatione dupliciter lapſus eſt. Primò quod rei abuſu, verum ipſius uſum tollere nititur. Deinde quod perſonarum vitia, ipſi rei per ſe bonæ tribuit. Quid enim an ideo ſcripturæ collatio mala eſt, quod quispiam ea non rectè utatur? an ideo rejicienda, quod i tanta hominum diſſenſione, non ſolum quilibet ſi eam tribuit, ſed etiā alios in ea errare aſſerit? Certè ſi hoc verum eſt, etiam ipſa ſancta ſcriptura, eandem ob cauſam rejicienda fuerit. Quod quide*

Romanenses maximè quærere videntur, ut suum verbum non scriptum tantò impuniùs Christiano orbi obtrudant. Qua quidem de re, quid existimandum sit, cordatorum judicium esto.

Pergit autem Smiglecius & tanquam causa iam obtenta dicit: Falsum igitur est, illud commune Evangelicorum pronunciatum, scripturam esse judicem omnium controversiarum, esseq; ex se clarissimam, & omnes dubitationes tollere. Si enim hoc ita est, cur apud Arrianos pro Arrianis judicat, apud Calvinistas pro Calvinistis, apud Lutheranos pro Lutheranis. Omnes enim hi se scripturæ judicio subjiciunt, & scripturæ judicium pro se afferunt. Si scriptura facillima & clarissima est, unde igitur in tanta luce, tenebræ tantæ? unde innumeræ circa scripturarum intelligentiam contentiones? unde tam variæ interpretationes? unde tot errores? *Hæc ille. Hîc respondemus Smiglecium in idem vitium incurrere, quod paulò ante reprehendimus, dum nimirum personarum crimina cum re ipsa confundit. Non enim consequens est, ideo scripturam non esse lumen, controversiarumq; verum judicem, quia multi vel præjudicatis opinionibus excæcati, vel improbitate negligentiaq; impediti, se ad eam legendam conferunt, & porro aliter atq; aliter illam intelligunt. Num, quæso, ideò quispiam legitimus judex minimè fuerit, quia illi quorum causas judicandas suscipit, mentis quodam vel stu-*

 pore

pore, vel quocunq́ alio errore implicati ipsius sententiam, quantumvis per se clarissimam, aliter atq́ aliter accipiunt? Minimè gentium, cùm culpa non in judice sed in ipsis hæreat.

Quod porrò scripturam mutum judicem *nominat*, qui partibus tribuat potestatem ad libitum loquendi, interpretandi, decernendi. *id nimirum falsissimò ab illo dicitur: cùm scriptura nec muta sit, sed omnibus istis rabulis eloquentior, satisq́ enucleatè omnia, quibus salutis nostræ ratio continetur explicet: nec potestatem faciat dicendi, interpretandi, decernendiq́ ad libitum. Sed certam regulam monstret, ad quam omnes controversiæ examinari possunt ac debent, ut etiam Augustinus aliiq́ patres testificantur. Quòd si quis ad libitum loquitur interpretaturq́, id nimirum non in scripturam, sed in depravatam ejus, qui hoc facit, voluntatem conferendum est.*

Illud quoque falsissimum, vel certè Smiglecii sententiæ contrarium est, quod dicit, eorum duntaxat, supra quos ædificata ecclesia est, quiq; claves regni cælorũ tenent, esse de vero scripturæ sensu decernere ultimamq; sententiã ferre: *cùm solos Apostolos prophetasq́ illos ecclesiæ fundamentum fuisse, clavesq́ illas habuisse, iam suprà à nobis demonstratum sit. Vnde cõsequitur, Smiglecium suum Papam suosq́ episcopos, ab hoc de vero scripturæ sensu judicandi munere, prorsus excludere, quippe qui nec Apostoli, nec prophetæ, nec eorum successores sint, ut suprà docuimus. Quo fit, ut si volumus*

mus, hodie de scripturæ sensu judicium fieri posse, illud ad nullum certum hominum genus alligatum esse: sed cuilibet scripturam non oscitanter legenti, fideiq; analogiam, ex diligenti ejusdem scripturæ collatione rectè tenenti, convenire statuendum sit: præsertim cum nusquam scriptum legamus, certis quibusdam hominibus præ aliis hanc potestatem datam esse, ut ultimam necessariamq; de scripturæ sensu ferant sententiam: contrà vero omnes omnia, spiritusq; an ex Deo sint probare disertissimis verbis jubeamur. Et quia hæc probatio, sive hoc judicium, non nisi per scripturam fieri potest, quis non videt, eam controversiarum judicem merito appellari?

Nona Smiglecii demonstratio.

Ministri Evangelii fructum afferunt Evangelio dignum.

Hunc fructum non afferunt ministri Evangelici.

Ergo non sunt veri Evangelii ministri.

Assumptionem hunc in modum probare nititur Smiglecius: quia, *inquit*, nullus ex eorum secta prodiit, aliqua sanctitate illustris: nullus vadit & vendit omnia: nullus castitatem perpetuam servat, ad eamvé voto se adstringit: nullus Iohannis Baptistæ exemplo ad desertum se contulit, ut ibi cilicio ex pilis camelorum indutus aqua & oleribus victitaret: nullus divinarum rerum contemplatione in cælum usque raptus: nullus divinæ dulcedinis inebriatus animi deliquium passus est, *&c.*

Hîc dupliciter respondemus: Primò ut ista omnia ad veri ministerii essentiam nihil spectant: cùm sint planè singularia, & ideo ordinariam ministerii functionem non constituant: ità qui iis caret, ob id ipsum à veri ministerii munere excludendus nequaquã est: nisi Smiglecius demonstret, ministris planè injunctum esse, ut si sese veros ministros præbere velint, ista omninò habeant. Quod non solum nunquam faciet. sed etiamsi faceret, seipsum unà cum ejusdem farinæ hominibus, vero ministerio privaret. Sed fortaßis non ut quilibet minister talis sit requirit Smiglecius, sed ut Evangelici ostendant in ipsorum secta saltem unum vel alterum extitisse, qui si non omnia ista claritatis insignia, aliqua tamen habuerit. Respondemus, ne hoc quidem ministerii essentiam constituere, nec unquam scriptum extare, omninò opus esse, ut qui veri ministri esse volunt, tales viros ex sua secta prodiisse ostendant. Quid quod adhuc sub judice lis est, an ecclesia Romanensis, an verò potiùs ii, qui Evangelicam veritatem tenent, istis virorum sanctissimorum qui hîc memorantur, exemplis gloriari jure possint. Iohannem enim Baptistam, qui in desertum sese contulerat, Papistam minimè fuiße apertißimum est: cùm & baptismus & doctrina illius à Papistarum tum baptismo, tum doctrina plurimum differat. Veri contra Evangelici eandem baptizandi formam, idem de Christo testimonium, eandem pœnitentiæ disciplinam retineant, ut alibi fusius à nostris hominibus disputatur.

Paulum

Paulum quoq; qui in tertium usq; cælum raptus erat, verorum Evangelicorũ cœtui, multò quàm Romanæ ecclesiæ propiorem fuisse inde patet, quòd is cœtus Pauli doctrinam, ut in omnibus ita in hoc sequitur: quod & idololatriam ab illo prohibitam, & doctrinas dæmoniorum, cibos matrimoniaq; vetantes fugit, ministros habet honestos, unius uxoris maritos, &c. Quibus de rebus an Romanenses jure gloriari possint, alii judicent. Illud certè eum à Romanensibus minimè fuisse evidentißimè demonstrat, quod de Antichristo, quem Romanum pontificem esse omnes sani intelligunt, deq; defectione per ipsum facta vaticinatus est. Iam quid de Iohanne theologo quem rerum divinarum contemplatione maximis & admirabilibus visis extra seipsum raptum, animoq; defecisse legimus, is certè tantum abest, ut Papista fuerit, ut Romanensem bestiam, potestatem suam à dracone accepisse apertissime dixerit, eandemq; non uno in loco variè depingat, hominesq;, ut ab ipsius charactere adorationeq; caveant, sedulò hortetur. Quò igitur quispiam cœtus longiùs à bestia ista disceßit, ideoq; Iohannis monitioni obedientior est, eo propiorem sibi eundem Iohannem fuisse, gloriari potest. Hæc quidem exempla ideo etiam majori ornamento verorum Evangelicorum Ecclesiæ sunt, quod viri memorati, non ultrò, nec cerebri sui figmenta sequentes, eum statum amplexi, sed ab ipso Deo in eo collocati fuêre. Habeant igitur Romanenses suos monachos, aliosq; qui citra ullum divinum mandatum, somnia tantùm sua sequentes,

matrimonium divinitus ordinatum fugiunt, castitatis voto se obstringunt (quàm feliciter autem & quàm sanctè id faciant, experientia oculiq́; adeo ipsi testantur) in monasteria se concludunt, aliaq́; suscipiunt, ex quibus non castitas, non sanctitas, non puritas, sed horum contraria emergunt, ut summo cum dolore videmus. Nos erimus contenti istis viris, qui nostris cœtibus singulari vitæ sanctimonia præiverunt, eaq́; pietate, quam tum ministri, tum alii homines nostri, ex præscripto Christi, pro virili parte sequi debent, Quæ postea Smiglecius in Lutheranos dicit, quod nimirum, solam fidem justificare asserant, quòd sacramenta tollāt, quòd deteriores facti fuerint, quàm cùm essent in papatu, &c. *ea cùm ad nos nihil pertineant, ipsis defendenda relinquimus. Similiter & de illis, quæ postmodum de fide Evangelicorum disputat, judicandum est. veniamus igitur statim ad decimam Smiglecii demonstrationem, quæ hujusmodi est.*

Ministris veris Deus cooperatur, & sermonem confirmat sequentibus signis.

Ministris Evangelicis nunquam est cooperatus Deus, neq; sermonem eorum confirmavit sequentibus signis.

Non sunt igitur veri Ministri.

Hîc animadvertendum est Smiglecium non solùm syllogismorum formam, sed etiam materiam violare. Formam, quia in secunda figura majorem particularem ponit: cùm nec omni vero ministro,

nec semper Deum signis cooperatum fuisse constet. Nam & locus ex quo suum argumentum deprompsit, præcipuè tantùm de Apostolis loquitur: & Paulus expreßè asserit, non omnium esse virtutes edere, morbosq́ sanare. 1 Cor. 12. *Non semper autem hoc Deum fecisse res ipsa indicat, cùm post primævam illam Ecclesiam, nulla miracula edita fuisse, nec nunc edi constet, quibus salutaris Christi doctrina confirmetur, utpote cùm iam satis confirmata fuerit. In materiam autem syllogismorum Smiglecius peccat, cùm in minore propositione dicit, Deum Ministris Evangelicis nunquam fuisse cooperatum sequentibus signis: quandoquidem illi de quibus major loquitur, maximè Evangelici ministri fuerunt, utpotè Evangelium ubivis locorum prædicantes. Quo fit, ut satis sese ridiculum præbeat, dum à nobis qui idem & non aliud Evangelium nos habere profitemur, postulat, ut per mille sexcentos ãnos, vel unum miraculum à nostræ confeßionis hominibus factum proferamus. Nec quicquam causæ nostræ officit, quod & Arriani, & reliqui Evangelici, &c. Apostolorum miracula sibi vendicant: cùm licet in quibusdam rebus, quibus salutis nostræ summa minimè continetur, dissentiamus: in veritate tamen salutari, quæ pauca admodum continet, ita consentiamus, ut omnes unus cœtus esse possemus. Quia autem eadem salutaris veritas sola præcipuè Apostolorum miraculis confirmata est, ideo omnes meritò, id est tam illi quàm nos, ea nobis vendicare possumus. Conatus fuerit Lutherus, Calvinus, aliiq́ quorum Smigleciu me-*

us meminit, quicquid voluerint, (si modo vera sunt, quæ hîc de illis dicuntur) nihil hoc nostra refert, qui Apostolorum miraculis veritateq́; semel confirmata contenti, nihil ultrà requirimus, planeq́; cum illis facimus, qui ut Smiglecius dicit, scripturis hodie & non miraculis agendum censent. Respondet Smiglecius: Ita quidem: At cùm scripturas variè torqueant, & ad suos sensus accommodent, divino testimonio est opus: utri scripturas verè & ad animarum salutem accommodatè exponant: hæreticiné, an Catholici: Arriani, an Calvinistæ vel Lutherani? *Respondemus hæc frustrà à Smiglecio dici: cùm non solum iam satis constet, Deum miraculis ordinariè nobiscum non agere, sed etiam ad hanc rem, quam Smiglecius hîc commemorat, miraculis opus non esse. Ipsa enim scripturæ cum scriptura collatio, fideiq́; analogia, quæ ab unoquoq́; non socorde homine, ex scripturis haberi potest, citra ulla miracula, satis indicat, cui parti in rebus ad salutem pertinentibus sit adhærendum, præsertim cùm ea quibus salutis nostræ ratio continetur clara apertaq́; sint. Qua de re cùm partim in hac responsione nostra, partim alibi à nostris hominibus disputatum sit, haud neceßarium arbitror, eadem repetere.*

Ex his, quæ paucis hoc loco complexi sumus, perspicuum est, Smiglecii istam argumentationem, non demonstrationem, sed inanißimum sophisma esse, quemadmodum & omnes aliæ, ut hactenus ostendimus, eaq́; quæ de miraculis à Donatistis, dæmoni-

monibusq́; factis, & in ecclesia Romana omnibus seculis editis disputat, partim ad nos nihil pertinere, qui ut Dæmones, nonnisi Dei permissu portenta facere posse facilè concedimus, ita factané à Donatistis fuerint nec ne minimè curamus: partim verò non ad nos vero ministerio excludendos: sed ad adversarios Antichristianismi convincendos maximã vim habent. Si enim post illa tempora quibus Evangelica doctrina satis confirmata fuit, miracula viguerunt, certè non ad salutarem Christi veritatem comprobandam facta fuerunt. Duabus quippe evidentissimis rationibus demonstrari potest, divinis miraculis, à memoratis usq́; temporibus ordinariè nullum locum fuisse: quarum prior est, quòd Deus nihil facit frustrà. Frustrà autem fuissent facta miracula, postquam salutaris veritas satis fuit confirmata, cùm nonnisi hujus confirmationis causa adhibita fuerint. Altera, quòd Deus nulla ratione homines ad Christi religionem vi cogere, sed eam lydium lapidem esse voluit, quo hominum animi explorarentur, ut nimirum probi tantùm illam amplecterentur, improbi verò sua culpa ea offenderentur. Probis quippe hominibus ea argumenta, quibus olim Christi doctrina confirmata fuit, ad eam amplectendam satis sunt. Improbi verò illis minimè contenti, fortassis miraculis, si hodie etiam ederentur, quasi vi quadam impulsi, non autem propria virtute adducti, ad Christum se conferrent, & sic liberum arbitrium tolleretur, Christianaq́; religio animorum

morum exploratrix esse cessaret, suamque naturam perderet.

Cùm igitur miracula, quæ post primævam illam Ecclesiam viguisse Smiglecius gloriatur, non ad veritatem confirmandam facta fuerint, ut iam demonstravimus, sequitur ea ad mendacia stabilienda edita fuisse, & sic illa esse, quibus Diabolus antichristum ipsiusq; ministros, ad Christi veritatem evertendam armavit. Quod enim Smiglecius Deum diabolo ita miracula faciendi potestatem permittere negat, quin simul ea falsa esse appareat, id ipsius causam nihil plane juvat. Vt enim hoc concedamus, nequaquam tamen hinc sequitur, Romanensium miracula, non esse diabolica, cùm id ita esse fidelibus semper notißimum fuerit, quippe qui ea ex ipsorum doctrina ponderaverint, ut divinitus edocti

Deut. 13. *fuêre. Quidquod non ita facilè omnibus, ut fortaßis putat Smiglecius, apparet, diabolica miracula falsa*

2. Thes. 2. 10, 11, 12. *esse, ut quidem tum ex verbis Pauli, tum ipsius Chri-*

Matth. 24 24. *sti perspicuum est, quibus & Deum efficaciam deceptionis veritatis inimicis, per Antichristum missurum fuisse prædicitur, cujus adventus fuit ex efficacia Sathanæ cum omni potentia, signisq; ac prodigiis mendacibus, & cum omni fraude injustitiæ: & surrecturos fuisse pseudochristos, daturosq; signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducerentur (si fieri posset) etiam electi.*

Providentia Dei fieri, quemadmodum dicit Smiglecius, ut homines miraculis minimè decipiantur, libenter concedimus, sed non simpliciter, ita nimi-

nimirum ut homines interim ea in re nihil agant: sed eo pacto, dum in aßiduo veritatis studio versantur, ideoq; ipsi ne fallantur sedulo cavent, eadem Dei cura atq; providentia juventur. Verùm quo pacto hoc Smiglecii causam stabiliat, nostram autem evertat, non videmus. Cùm enim nos miracula nulla facere, ultrò fateamur, isti verò de miraculorum multitudine glorientur: nonne potiùs nobis hac in parte divina cura prudentiaq; opus est quàm illis, cùm à nobis per miracula falli non poßint: nos verò, nisi Dei ope implorata diligentißimam adhiberemus cautionem, facilè illorum miraculis circumveniri possemus. Quam quidem Dei providentiam ut aliis multis in rebus, ita & in hac experti sumus, quod nobis omnia Antichristi stratagemata, omnesqúe Pontificiorum errores patefecit, & sic quid de illorum, si qua sunt, miraculis sentiendum sit, planissimè ostendit: ut ex nostris libris quilibet cognoscere potest. Pro quo quidem summo Dei beneficio ipsi ingentes agimus gratias, eumq; suppliciter oramus, ut eandem gratiam omnibus nationibus impertiat, id est, Antichristi technas illis aperiat, quo fiet, ut illis valere jußis, solamq; veritatem sequentes, summum illud bonum per Iesum Christum consequantur, quod omnibus Dei studiosis destinatum est. Amen.

Erratorum graviorum correctiones.

pag.	vers.	errata.	correctiones.
18.	4.	Theophilactus	Theophylactus
23.	12.	permittet	permittit
32.	6.	alio	alios
33.	18.	conducant	conducat
34.	29.	viri sineq;	viri auctoritate, sineq;
38.	3.	enunciationum	enunciationem
43.	22.	convincerimus	convicerimus
44.	20.	Qui enim	Cùm enim
56.	1.	quæstones	quæstiones
65.	2.	alud	aliud
66.	4.	quod nec ipse	quod ipse
67.	12.	legitimam	legitimum
68.	23.	postulasse	postulare
69.	17.	καθ ἐξοχὴν	κατ' ἐξοχὴν,
71.	7.	-miteret,	-mitteret,
ibid.	20.	fecesse	fecisse
72.	22.	temporari	temporariū
73.	23.	susspensas	suspensas
75.	6.	rationis	ratione
ibid.	14.	Apostolos	Apostoli
	ibid.	sibi ipse	sibi ipsi
77.	18.	invenire	invenisse
91.	10.	Susiglecius	Smiglecius
93.	26.	respicit	respuit
94.	20.	esse	est
104.	18.	eclesiæ tradere	ecclesiæ sese tra-(dere

Cætera leviora Lector benevolus per se ipse corriget.

...omnium virtutū que d mores
ustinere nō possunt: sed potiꝰ q̄si lupi vl' latrones eo
t. Imminēte eñ tēptatione vnaqueqꝫ virtꝰ tumultū
amat. Cogitatio eñ mala fur est: affectio noxia ignis
vna virtꝰ clamat: ad arma / ad arma. s. disciplina: alia
atronē / latronē. s. timor: alia clamat / aquā / aquā. s. lu/
olor: alia inuocat auxiliū. s. oratio: Et sic fit tumultus
penitētis / velut in ciuitate cū in eā hostes irruerint:
immissus apparuerit. Hoc tumultu eripit hō a mani/
micoꝝ eiꝰ. Uel tumultꝰ in ipso virtutū ē turbatio cō/
pūalis: quē faciūt virtutes in orone vl' cōtēplatiōe. Et
ū virtutū vt querat iesus. i. penitēs ad crucifigēdū:
iciā afflictiōis turbet cōcentus ꝛ gaudiū cōtēplatiōis.
. viij. c. Dies sanctificatꝰ ē dño deo nro: nolite luge/
te flere: ite comedite pinguia ꝛ bibite mulsum: ꝛ mit/
es eis q̄ nō pparauerūt sibi. i. iusticie vl' dolori: quia
cꝰ est dño: ꝛ nolite cōtristari. Gaudiū eñ dñi est for/
estra. Recapitulatio ē vsqꝫ ad illō / Tūc abijt vnꝰ:
ud factū est sabbato añ ramos palmaꝝ: vt dicit Jo/
ij. a. b Cū autē esset iesus ꝛc. Mystice: Si/
osus / peccator cōuersus est ꝛ obediēs: ponēs sibi tri/
peccatis suis. Hiere. xxxi. d. Statue tibi speculā: po
maritudines. Qui et auditor merōris interptatur.
j. a. Meliꝰ est ire ad domū luctus q̄ ad domū cōui/
omo huiꝰ recūbēs dñs / tot ferculis pascit: quot mo/
rū in ipsa cōuersione peccatoris ei offerimꝰ: Et tot

tactu. Et effudit sup caput ipsiꝰ recūbētis. i. diu/
tatē eiꝰ orauit ꝛ adorauit. g Uidētes aūt discipli / in/
gnati sūt / dicētes: Ut q̄d pditio hec? Potuit eni/
istud venūdari multo ꝛ dari pauperibꝰ. Sic mult/
maxime magni / q̄si pditū reputāt q̄d dat orōni ꝛ cōtēplati/
Et h dicūt: nō q: multū curāt de paupibꝰ: sed magis fauēt/
ꝓprijs cupiditatibꝰ.. Dñ Joh. xij. a. Maria accepit librā v/
guēti nardi pistici pciosi ꝛ vnxit pedes iesu: ꝛ extersit capill/
suis pedes eius: ꝛ domꝰ repleta est ex odore vnguēti. Dic/
bat ḡ vnꝰ ex discipulis eius iudas scariothis qui eū erat tr/
diturꝰ: quare hoc vnguentū nō venijt trecētis denarijs ꝛ d/
tū ē egenis? Dicebat hoc: nō q: ad eū ptinebat de egenis:
q: fur erat ꝛ loculos habēs: ꝛ ea q̄ mittebant portabat. S/
etiā martha mariā a cōtēplatiua sollicitat. Luc. x. g. Dñe n/
ē tibi cure q̄ soror mea reliquit me solā ministrare? Dic ḡ il/
vt me adiuuet. h Sciēs aūt iesus / ait illis. i. iude ꝛ ma/
the volētibꝰ excitare mariā cōtēplationi vacantē. i Quid/
molesti estis huic mulieri: q̄ me suis orōnibꝰ ac suspirij/
mollit? k Opus eñ bonū opata est in me / deuotio/
nis ꝛ pietatꝭ q̄ suspiꝰ miserta ē pximo. Ecci. xxx. d. Miserer/
aīe tue placens deo ꝛ contine ꝛ cōgrega cor tuū in sanctitate
l Nam paupes semp habetis vobiscū. Deut. xv. b/
Nō deerūt paupes in terra habitatiōis tue. m Me aut/
nō semp habebitis: presentia corpali psentē. In cōtēpla/
tiōe dñs grit / ꝛ tarde inuenit ꝛ cito amittit. Bern. Fel... o/
ra ꝫ breuis mora. Cant. v. b. Pessulū ostij mei aperui dile...